SVPPLEMENTVM
EPHEMERIDVM,
ac Tabularum Secundorum Mobilium,

IO. ANTONII MAGINI PATAVINI,
Mathematicarum in almo Bononienſi
Gymnaſio Profeſſoris,

IN QVO HABENTVR

Ratio, & methodus perfacilis promptiſſimè ſupputandi verum motum Solis, Lunæ, & Martis ex nouis Tabulis ſecundum Tychonicas obſeruationes, nunc primum accuratè conſtructis.

Correctio aliqua motuum ſingulorum Planetarum, qui ex Ephemeridibus hactenus impreſſis colliguntur: additis ſimul Aequationum Planetarum nouis Tabulis ab ipſo Auctore conſtructis, quæ ceteris compendio præſtant.

Compendium calculandarum Eclipſium ex iam dictis Tychonicis Luminarium Tabulis, noua tamen correctione, & limitatione ſeruata.

De Meridianorum differentia, cum reſponſione ad Origanum.

VIRTVTI SIC



CEDIT INVIDIA.

VENETIIS, *Apud Hæredem Damiani Zenarij*. M DC XIV.

Permiſſu Superiorum, & Priuilegijs.

ILLVSTRISSIMO, AC DOCTISSIMO VIRO AGESILAO MARESCOTTO PATRITIO BONONIENSI.

Io. Antonius Maginus S. P. D.

TRIENNIVM *vix abſolutum eſt, nobiliſſime, ac eruditiſſime vir, poſtquam tu iucundiſsimis, ac proficuis hiſce Mathematicarum ſtudijs operam aſsiduè impendere cœpiſti, in quibus in virili licet hac tua ætate conſtitutus, domeſticisque impeditus curis, nihilominus adeò ob miram ingenij tui perſpicacitatem profeciſti, vt non modò non me pœnituerit ſedulitatis, ac laboris qualiſcumque mei in te priuatim erudiendo, verum iucunditate potius non leui me affectum fuiſſe fateri cogar, quod talis mihi oblata fuerit occaſio; nec immeritò quidem: Quis enim pluribus longè an-*

✠ 2 nis

nis hoc idem præſtare potuiſſet? Verum enim verò, nec tu hoc contentus, me vltro hortari continuò non deſtitiſti, vt quos in Aſtronomia, & Mathematicis labores ſuperioribus annis aſtruere cœperim, quàmprimum perficerem, imprimiſque tuo crebro hortatu mihi auctor eſſe voluiſti, vt de nouo Tabulas haſce Motus Martis meo marte conderem, ſecundum recentes, ſcilicet Clariſſimorum virorum Tychonis Brahe, & Ioannis Kepleri hypotheſes, ac obſeruationes: aſſerens conſtanter ſtudioſis eas fore pergratas, ſi modo in lucem edantur vnà cum Luminarium Tabulis (præſertim verò Lunæ, cuius calculus Tychoni non tàm prolixus, quàm difficilis admodum eſt) in faciliorem formam à me redactis: Neque enim vlla ſpes eſt, doctiſſimum Keplerum ſuas Martis Tabulas ſeparatim publicaturum eſſe, antequam reliquorum Planetarum Tabulas omnino abſoluat, cum illas ſuo egregio labori de Motu Martis, tametſi ad eius intelligentiam, & vſum admodum neceſſarias, adiungere noluerit. Vtinam verò poſtquam ab ipſo Keplero abſolutæ fuerint, protinus ederentur; nec expectandum eſſet, vt ex iiſdem prius conſtruantur, vel ab eodem, vel à quopiam alio de ipſius conſenſu complurium annorum Ephemerides, eæque publicentur. Quamobrem tua tanti apud me fuit auctoritas, vt quamuis circa Italiæ deſcriptionem omnino detinerer, ſtuderemque quàmprimum illam abſoluere, ac publicare; non potui tamen tibi morem non gerere, ſed quàm libenter perſuaderi paſſus ſum ad illud onus ſuſcipiendum, idque eò libentius feci, quò magis tua ſic feliciter cœpta ſtudia adiuuarem, atque etiam, vt experirer, an nouæ Tychonis & Kepleri hypotheſes ad vſum mearum generalium Tabu-

larum

larum pro colligendis promptè ſingulorum Planetarum Aequationibus, quas præteritis annis excogitaueram, accommodari poſſent. Quæ potiſſima (vt verum fatear) fuit cauſa, cur ego à Keplero poſtulauerim, vt mihi ſuas de Motu Martis Tabulas communicare vellet; non autem ad nouas Ephemerides conſtruendas, vt ille ſuſpicatus eſt. Qua in ſententia nihilominus ſi ille perſtitiſſet, id oneris libenter ſuſcepiſſem. Ceterum illud in poſterum ſtudebo, vt reliquorum Planetarum hypotheſes, ac calculus ad vſum earundem noſtrarum generalium Tabularum conformentur ad eundem modum, ſicut in Marte præſtitimus, cuius abſolutas ſecundum nouam formam manuſcriptas Tabulas adhuc reſeruamus oportuniore tempore ſtudioſis communicandas. Porrò in his Martis Tabulis, ac calculo nunc ſequutus ſum terminos hypotheſium Kepleri, nec ad alias hypotheſium formas, Ptolemaicam dico, ac Tychonicam illas aptandas temporis anguſtia duxi, facturus hoc in mearum Theoricarum noua reformatione, vbi illas, præter hanc vſitatam Ptolemaicam formam hactenus ab omnibus ferè comprobatam, aſtruemus quoque Syſtemati mundano de Copernici, & Tychonis ſententia congruentes, quò pro virili omnibus ſatiſfiat. Præterea, vt tibi in hoc quoque obſequerer, publicaui eruditiſſimam Kepleri epiſtolam illam, quam ad me anno 1601. conſcripſit, cùm ſcilicet Tycho adhuc viueret; ſiquidem illa ipſa ad intelligentiam inſignis illius operis de Motu Martis multum lucis afferret. Fateor autem ingenuè, me ad illam tunc, vt par erat, non reſpondiſſe, cum ſuſpicarer eam fuiſſe Tychonis hortatu ad me conſcriptam, vt ea à me ille obtinere poſſet, quæ paulò ante ipſi Tychoni

ni

ni obtuleram hac potiſſimum conditione, vt mihi verè commenſurationes orbium communicare vellet, & hanc meam ſuſpicionem auxit, quod nullum poſtea acceperim ab ipſo Tychone reſponſum. Sequuta paucos ab hinc annos Tychonis morte, maximo cum Aſtronomiæ detrimento, dum expecto, vt monumenta illius in lucem prodeant, atque ſic offeratur, mihi oportuna occaſio in illis tractandis ad meas excogitationes, ac inuentiones exornandas, hac ſpe fruſtratus, Aſtronomiæ ſtudium non mediocri à me quondam diligentia cultum intermittere aliquantiſper ſum coactus. Iam igitur cum te ſuaſore has meas de Motu Martis Tabulas ad exitum perduxerim, ſimulatque illas, & Luminarium Tabulas vnico volumine collectas typis mandauerim, tibi illud meritò dicandum duxi, vt meum in te animi ſtudium, conſtantemque erga te beneuolentiam notam poſteris facerem: non enim obſcurum eſt, te in ea eſſe apud omnes exiſtimatione, ac opinione, ob variam ſingularum diſciplinarum cognitionem, ac ſtudium, vt inter reliquos omnes eruditos huius præcipuè vrbis Gymnaſio percelebri ornatæ, mirificè refulgeas: neque tamen tu hac inſigni laude non mediocris eruditionis in diſciplinis, & humanioribus ſtudijs contentus, ſed parem etiam gloriam in armis tractandis adeò tibi conciliaſti, vt à iuuenili ætate præclari equitum ducis gradum promerueris, ſicut & in poſterum quoque tibi maiores in re militari adſeruantur honores, cum occaſio vrgebit. Taceo te è nobiliſſima ortum eſſe familia, quæ tùm antiquitate, tùm numero præſtantiſſimorum virorum, tàm in literis, quàm in armis ad omnem ætatem floreſcentium inter primarias meritò connumeratur. Tuum itaque erit, nobiliſſime vir, hoc perpetuum

petuum mei in te grati animi munuſculum alacriter accipere, meq́ue ex eorum numero exiſtimare, qui, & tibi, tuiq́ue conſimilibus viris, qui Patriam ſuarum virtutum ſplendore exornare non deſiſtunt, æternum perenneq́ue decus afferre nitantur. Vale.

Bononiæ die 4. Octobris, ipſoq́ue die D. Petronij huius Ciuitatis Patroni.

AD AVCTOREM,

Pauli Antonij Ambroſij Vrbinatis.

SPHERARVM *motus ſublimis in arte Maginus*
Dum comples, motus, innumerosque moues;
Ecce homines plaudunt, Errantia ſidera plaudunt,
Namque ſolum, atque polum te decoraſſe vident.

AD AGESILAVM MARESCOTTVM VIRVM ILLVSTRISS.

Ioannis Albani Bononienſis.

IVRE *tibi æetherea hæc ſacrat monumenta Maginus*
Cæleſti quod ſis præditus ingenio,
Quod tua ſit Virtus toto ſpectabilis Orbi,
Viuida geſta viri, ſcripta linenda cedro,
Quod ſtudio doctus, ſtricto quod ſtrenuus enſe,
Nobile quod patriæ diceris eſſe decus.

INDEX CANONVM ET TABVLARVM HVIVS SVPPLEMENTI EPHEMERIDVM.

Can. I. DE vera Aequinoctiorum præceſſione ſecundum Tychonicam rationem ad hæc noſtra proxima ſæcula. pag. 1
II. De corrigendis Planetarum motibus ex Ephemeridibus noſtris, vel aliorum ob dictam varietatem, quã efficit Aequinoctiorum præceſſio. 2
III. Verum Solis locum ex Tychonicis Tabulis ad Venetum Meridianum accommodatis depromere. 3
IV. Eundem Solis verum locum ad quodlibet momentum temporis, ab anno 1500. vſque ad annum 1700. ex Ephemeridibus motus Solis quatuor particularium annorum exactè elicere. 5
V. Locum ☽ verum ex noſtris Tabulis ſecundum Tychonicas hypotheſes elaboratis promptiſſimè adinuenire. 6
VI. De Aequatione temporis reſpectu motus Lunaris. 9
Tabula Aequationis temporis in Luna. 10
VII. Verum locum nodorum ☽, ſeu ☊ & ☋ ad datum tempus explorare. 11
VIII. Latitudinem ☽ veram Tychonica ratione adinuenire. 12
IX. De reductione veri loci Lunæ in propria orbita ex Tabulis Lunaribus ſupputati ad Eclipticam. 13
Tabella reductionis veri loci Lunæ ad Eclipticam. 14
X. Methodus adinueniendi verum locum Martis ex noſtris Tabu-

lis ſecundum Tychonis & Kepleri hypotheſes, ac obſeruationes. 15
X I. Pro vera Martis latitudine indaganda. 19
X I I. De calculo longitudinis trium ſuperiorum Planetarum ſecundũ Copernici hypotheſes, ex nouis noſtris Aequationum Tabulis generalibus, ſuppoſita tamen Tychonica correctione in motu octauæ Sphæræ. 20
X I I I. Verum locum cuiuslibet trium ſuperiorum ex Tab. Tychoni-Copernicæis, & ex generali poſitionum Tabula ſecundum Copernici hypotheſes ſupputare. 22
X I V. Verum trium ſuperiorum Planetarum motum aliter exquirere per primam generalem Aequationum orbis Tabulam. 28
X V. De calculo duorum inferiorum Planetarum Veneris & Mercurij Copernicæo, per proprias eorum Tabulas, ac per generalem poſitionum & æquationis orbis Tabulas. 30

INDEX APPENDICIS
Tabularum Secundorum Mobilium.

TABVLA præceſſionis Aequinoctiorum Tychonica. pag. 36
Tabella differentiæ præceſſionis Aequinoct. Tychonicæ à Copernicæa. 38
Radices Aequalium motus Solis ad ſingulos annos. 40
Tabula Aequalium motuum Solis ad ſingulos dies anni 46
Tabula longit. Solis ab Aequinoctio in horis & minutis. 52
Tabula Aequationum Solis. 53
Tabula Diſtantiarum Solis à terra. 58
Tabula Parallaxium Solarium. 59
Ephemeris motus Solis anni 1600. 1601. 1602. 1603. 60
Tabula Aequationis veri loci Solis. 68
Radices Tychonicæ Aequalium motuum ☽ *ad annos ſing.* 74
Tabula mediorum motuum ☽ *ad ſingulos dies anni. 80. in horis & minutis.* 92
Tabula Aequationis Epicyclicæ Lunæ. 94
Tabula Aequationis nodorum ☽. 99
Tabula Aequationis Eccentricitatis ☽. 104
Tabula latitudinis ☽ *Tychonica.* 156
Radices Tychonicæ Aequalium motuum ♂ *ad annos ſingulos.* 161
Tabula mediorum motuum ♂ *ad ſingulos dies.* 167
Tabula Aequalium motuum ♂ *in horis & minutis.* 173
Prior Tabula Aequationum ♂ *Tychonica.* 174
Poſterior Tabula Aequationum ♂ *Tychonica.* 177
Radices Aequalium motuum ♄ *Tychoni-Copernicæa.* 182
Tabula Aequalium motuum ♄ *in menſibus & dieb. 185. in horis & min.* 186
Radices Aequalium motuum ♃ *Tychoni-Copernicæa.* 187
Tabula Aequalium motuum ♃ *in menſibus & dieb. 190. in horis & min.* 191
Radices Aequalium motuum ♀ *Tychoni-Copernicæa.* 192
Tabula Aequalium motuum ♀ *in menſibus & dieb. 195. in horis & min.* 196
Radices Aequalium motuum ☿ *Tyconi-Copernicæa.* 197
Tabula Aequalium motuum ☿ *in menſibus & dieb. 200. in horis & min.* 201
Tabula Aequationum ♄ *Copernicæa.* 202
Tabula Aequationum ♃ *Copernicæa.* 205
Tabula Aequationum ♂ *Copernicæa.* 208
Tabula Aequationum ♀ *Copernicæa.* 211
Tabula Aequationum ☿ *Copernicæa.* 214
Tabula Aequationum orbis generalis { *pro* ☽ & ♄. 218
pro ♃. 224
pro ♂ & ♀. 227
pro ☿. } 233
Epiſtolæ aliquot Kepleri & Magini. 241

INDEX COMPENDII SVPPVTANDARVM ECLIPSIVM

Ex Tychonico calculo correcto.

Can. I. AD explorãdum verum tẽpus ☌ vel ☍ luminariũ. pag. 269
II. An propoſita luminarium ☍ ſit Ecliptica. 272
III. De apparentibus ſemidiametris ☉, ☽, & vmbræ terræ. 273
IV. De magnitudine Lunaris deliquij. 274
V. De Scrupulis Incidentiæ, & moræ dimidiæ, ex quibus tempus Incidentiæ & moræ cognoſcitur. 275
VI. Veram ☽ latitudinem tam ad initium, quam ad finem Lunaris deliquij cognoſcere, atque ipſius deliquij typum effigiare. 276
VII. De luminarium parallaxibus in Solaribus deliquijs neceſſarijs, & primo de Solis parallaxi. 277
VIII. Parallaxin ☽ in circulo itidem altitudinis tempore coniunctionis cum Sole indagare. 279
IX. Ex parallaxi ☽ à Sole in circulo altitudinis diſcernere parallaxin eiuſdem ☽ à ☉ tàm in longitudinem, quàm in latitudinem. ibidem.
X. Momentum temporis apparentis ☌ luminarium exactè definire. 280
XI. Latitudinem ☽ viſam, ſeu apparentem ad tempus apparentis ☌ cognoſcere. 284
XII. Vtrum apparens luminarium ☌ futura ſit Ecliptica. 285
XIII. Magnitudinem Solaris deliquij cognoſcere. ibid.
XIV. Scrupula Incidentiæ in Solari Eclipſi manifeſtare, ex quibus tempus occultationis & emerſionis colligitur. 286
XV. Latitudinem ☽ apparentem ſeu viſam, tàm ad initium, quàm ad finem Eclipſis definire, atque Typum ipſius Solaris obſcurationis delineare. 288
Tabula motus horarij ☽ à ☉ in ☌ & ☍. 290
Tabula ſemidiametrorum ☉, ☽, & vmbræ, ac diſtantiæ ☽ à terra in ſemid. terræ. 291

COPIA.

Gli Eccellentiſs. Signori Capi dell'Eccelſo Conſeglio di X. infraſcritti, hauuta fede dalli Sig. Reformatori del Studio di Padoa, per relatione à loro fatta dalli due à queſto deputati, cioè dal Reuerendo Padre Inquiſitor, & dal circ. & fedeliſſimo Secretario del Senato Gio. Franceſco Marcheſini con giuramento, che nel Libro intitolato *Supplementum Ephemeridum, ac Tabularum Secundorum Mobilium Io. Antonij Magini Patauini Mathematicarum in Almo Bononienſi Gymnaſio profeſſoris,* non ſi troua coſa contra le leggi, & è degno di ſtampa, concedono licenza, che poſſa eſſer ſtampato in queſta Città.

Dat. die 21. Martij 1613.

D. Franc. Correr
D. Franc. Diedo } *Capi dell'Eccelſo Conſeglio di X.*
D. Aluiſe Duodo

Illuſtriſs. Conſilij X. Secr.
Barth. Cominus.

1613. adi 26. Marzo.
Regiſtrato in libro à carte 147.

Io. Bapt. Breatto Offic.
cont. Blaſph.

IO. ANTONIVS MAGINVS
Beneuolo Lectori S.

MIRABERIS *forſan ſtudioſe Lector, quod Canones Eclipſium cum prioribus Canonibus ſupputandorum Planetarum non continuauerim, antequam Tabulas ipſorum motuum traderem, vt decebat: ac multò quidē magis, quòd & epiſtolas illas interpoſuerim in hoc ipſo Volumine, quæ deberent potius in fine eiuſdem reponi. Sed ſcias velim, me amicorum potius hortatu, quàm mea voluntate Compendiū hoc ſupputandarum Eclipſium quatuor dierum ſpatio tunc temporis elaboraſſe, quando totum ferè ipſum opus fuit excuſum vnà cum illis epiſtolis. Nam etſi certò ſciam, Eclipſium calculum debere coniungi cū Luminarium Tabulis; nihilominus ſuperſedere nunc ab Eclipſium pertractatione edenda decreueram, cogitans potius alia & oportuniori forſan occaſione id me eſſe præſtiturum, vtpote plus ocij nactus, vbi compendioſioribus & commodioribus Eclipſium Tabulis, quàm fuerint hactenus vſitatæ, hanc tractationem promouere potuiſſem. Interim igitur libenter hoc exiguo conatu noſtro fruere, & antequàm hoc opus euoluas, hæc paucula errata corrigere ne graueris. Vale.*

Errata impreſſionis in Canonibus ſic corrigito.

Pagina	*Linea*	*Errata*	*Correcta*
1	penult.	præcedet	præc. cadit:
8	5	hæc	hac
9	penult.	hinc	tunc
11	8	ac 46	cum 46
15	14	à Solæ	à Sole
ibid.	25	adſeruata	adſeruanda
18	2	relinquatio	relinquatur æquatio
19	31	ſecundum	ſecundam
ibid.	32	per quem	per quam
23	15	fiunt	fuerit
24	è regione 8′ 24″	arcalis	arealis
25	è regione 35′ 18″	arcalis	arealis
26	è regione 7′ 0″	arcalis	arealis
27	è regione 34′ 44″	arcalis	arealis

Errata in Tabulis.

Pag.								
38	è regione anni 1602		*lege*	10	53			
ibid.	è regione anni 1662		*lege*	27	17			
41	è regione anni 1560	ſub 2. col.	*lege*	9	19	37		
42	è regione anni 1587	ſub 2. col.	*lege*	9	9	12		
43	è regione anni 1610	ſub vlt. col.	*lege*	9	9	39	16	27
44	è regione anni 1652	ſub vlt. col.	*lege*	9	10	28	14	55
48	die 14. Maij		*lege*	44″	37‴			
56	è regione gr. 18 50′	ſub col. nu. 4.	*lege*	1	22	8		
ibid.	è regione gr. 19 30′	ſub ead. col.	*lege*	1	21	3		
58	è regione gr. 7	ſub col. 2.	*lege*	100741				
61	die 3. Octob.		*lege*	10	18′	17″		
74	1501	ſub col. ☊	*lege*	18′	52″			
ibid.	1513	ſub 1. col.	*lege*	11	10	37′		
76	1570	ſub 1. col.	*lege*	29″	9‴			
77	1608	ſub vlt. col.	*lege*	4	7	16′	33″	
ibid.	1609	ſub ead. col.	*lege*	3	17	56	41	
78	1655	ſub vlt. col.	*lege*	9	28	15′	26″	
79	1694	ſub ☊	*lege*	8	23	55	24	
80	die 20	ſub 1. col.	*lege*	8	23	31′		
84	die 27	ſub 2. col.	*lege*	4	13	37′		
86	die 14	ſub 1. col.	*lege*	2	2	34		
90	die 16	ſub 1. col.	*lege*	8	29			
98	è regione gr. 27 30′	ſub 2. col.	*lege*	4	7	56		
99	è regione gr. 0 40′	col. vlt.	*lege*	5	13	2		
102	è regione gr. 22 20′	col. 4.	*lege*	5	10	33		
107	è regione nu. 26	col. 4.	*lege*	9	35			
108	è regione nu. 7	col. 7.	*lege*	19	6			
112	è regione nu. 17	col. 3.	*lege*	6	23			
115	e regione nu. 28	col. 8.	*lege*	8	44			
ibid.	tota vlt. col. caret minutis.							
116	è regione nu. 6	col. 2.	*lege*	13	32			
ibid.	è regione nu. 7	col. 3.	*lege*	14	42			
119	è regione nu. 28	col. 5.	*lege*	29	10			
120	è regione nu. 7	col. 8.	*lege*	0	39			
156	è regione nu. 28	col. 2.	*lege*	2	20	41		
163	1594	ſub col. ☊	*lege*	1	16	39	49	
166	1667	ſub col. 2.	*lege*	5	15	0	0	
170	die 23. & 24. Auguſti	ſub ☊	*lege*	27	27			
174	è regione gr. 8	ſub col. 3.	*lege*	166345				

175	è regione gr.20	ſub pen. col.	*lege*	148729			
177	è regione nu.28	ſub 1. col.	*lege*	0	51′	50″	
183	1572	ſub 2. col.	*lege*	7	16	12	55
ibid.	1580	ſub ead. col.	*lege*	10	24	5	52
ibid.	1582	ſub ead. col.	*lege*	11	18	33	7
ibid.	1584	ſub 1. col.	*lege*	8	29	11	25
ibid.	1586	ſub 2. col.	*lege*	1	7	9	32
ibid.	1612	ſub. 1. col.	*lege*	8	29	52	21
189	1644	ſub. 2. col.	*lege*	1	25	46	34
192	1501	ſub 2. col.	*lege*	2	26	3	23
ibid.	1503	ſub ead. col.	*lege*	5	26	39	53
193	1587	ſub 1. col.	*lege*	2	16	25	53
ibid.	1588	ſub ead. col.	*lege*	2	16	26	44
ibid.	1589	ſub ead. col.	*lege*	2	16	27	35
198	1621	ſub 2. col.	*lege*	8	1	12	24

Errata in Compendio Eclipſium.

Pag.	*Lin.*	*Errata*	*Correcta*
270	2	diſcrepabant	diſcrepabunt
272	24	habeat	habent
273	9	horum	harum
ibid.	11	dictorum	dictarum
274	16	allata	ablata
281	2	cum aliud	ad aliud
283	30	orientem	trientem
288	6	obſcurando	obſeruando
289	2	meridiani	meridiana
290	ſub 4. col. nu. 4. frontalis deſunt minuta, quæ facilè ſuppleri poſſunt.		

Errata in vltimo Capite de Meridianorum differentia.

298	27	expoſitam	expoſita
300	30	longitudinis	longitudines
309	10	paſcebatur	poſcebatur

IOANNIS ANTONII MAGINI PATAVINI CANONES AD VSVM SEQVENTIVM TABVLARVM.

CANON PRIMVS.

De vera Aequinoctiorum præceſſione ſecundum Tychonicam rationem ad hæc noſtra proxima ſæcula.

DE calculo veri motus octauæ ſphæræ, ſeu cum Copernico veræ præceſſionis Aequinoctiorum tractauimus Canone decimonono noſtrarum Tabularum Secundorum Mobilium iuxta Copernici hypotheſes,& Prutenicas Tabulas. Verum quia Copernicus in hoc calculo valdè à ſcopo receſſit, vt videre eſt apud Tychonē in Progymnaſmatis, cùm inæqualitatem motus in fixis aſtruxerit valdè inſignem, quam idem Tycho, aut nullam, aut ſaltem perexiguam eſſe obſeruationibus & rationibus ſuis deprehendit. Idcirco nos Aequinoctiorum præceſſionem, ſeu ſtellarum fixarum motum Tychonicum ad hos duos proximos annorum centenarios damus in tabulam extenſum, ab anno ſcilicet 1500. vſque ad annum 1700. in quibus non contemnenda cernitur differentia à Copernicæo calculo, vt quæ ad 38. minuta augeatur propè annos 1700. Quare mox alteram quoque tabellam ponimus exhibentem huiuſmodi differentiam, quæ inter vtramque Aequinoctiorum præcedet, Copernicæam ſcilicet, & Tychonicam, quæ poſterior tabella incipit ab anno 1561. quo

vterque calculus concordabat, poſt quem ſemper præceſſio Aequinoctiorum Tychonica excedit Copernicanam. Vnde hac vna de cauſa numeri motuum calculi Copernici, & Prutenicarum, ac noſtrarum Secundorum Mobilium tabularum deficiunt magis ac magis à vero poſt dictum annũ. Qui defectus continuò paulatim adeò augetur, vt ad annũ Domini 1700. ad duas tertias gradus ferè accedat. Vt autem præcaueri poſſit hic lapſus, ſeu hæc differentia in motibus Planetarum, qui ex tabulis Prutenicis, ſeu noſtris colliguntur, opus eſt, vt relicta Aequinoctiorum præceſſione Copernici hactenus vſitata, vtamur hac noſtra tabula veræ præceſſionis Aequinoctiorum Tychonicæ.

CANON SECVNDVS.

De corrigendis Planetarum motibus ex Ephemeridibus noſtris, vel aliorum ob dictam varietatem, quam efficit Aequinoctiorum præceſſio.

DIximvs in Supplementis Iſagogicarum Ephemeridum noſtrarum præteritis annis editis, ſingulorum Planetarum loca, quæ tum ex noſtris, tum ex aliorum Ephemeridibus, quæ Copernicæum calculum ſequuntur, colliguntur, deficere à vero aliquot minutis ob octauæ ſphæræ motum, quem nimis tardum Copernicus ſuppoſuit, ſeu ob Aequinoctiorum prçceſſionem, vt cum ipſomet Copernico loquar, nimis lentam, quã ferant veriſſimæ eximij viri Tychonis Brahe obſeruationes. Qui ſanè lapſus cum ſingulis quatuor annis coaugmentetur vno primo ſcrupulo à Copernici temporibus, inde fit, vt excreſcat in non contemnendam differentiã, quæ adhuc etiam maior in poſterum euadet. Hac itaque de cauſa damus tabellam, cui titulus eſt, *Tabula differentiæ præceſſionis Aequinoctiorum Tychonicæ à Copernicæa*, ex qua patet differentia inter vtrãque Aequinoctiorum præceſſionem horum inſignium Aſtronomorum, quæ profectò addenda eſt motibus Planetarum Copernicçis, vt ſecundum hanc rationem correcta euadant. Illud tamen aduertendum eſt, me præteritis annis conſimilem tabellam in Supplemento Iſagogicarũ Ephemeridum tradidiſſe, quam ex Ephemeri motus Solis Tychonici ad annum 1587. conſtructa, & mihi ab ipſomet Auctore tranſmiſſa, extraxi antequã Progymnaſmata in lucem prodirent. In qua ſanè tabula poſui varietatem motus octauæ ſphæræ decem minutis maiorem, quàm reuera ſit, putans præceſſionem Aequinoctiorum ad annum Domini 1522. à Copernico eſſe rectè conſtitutam, cùm tunc decem ſcrupulis exorbitaret, & anno tantum 1561. congruit. Non tamen putet quis noſtram illam tabellam ibi traditam reducendi locum Solis Ephemeridum noſtrarum ad Tychonicum calculum eſſe fruſtratoriam ac vanam: quia quot minutis abundat variatio motus octauæ ſphæræ dictæmet primo editæ tabulæ, totidem deſunt in

altera

altera æquationis tabula ob varietatem Apogæi & medij motus Solis illi adiuncta, pro recta vtriuſque compenſatione. Nam reuera Radix medij motus Solis calculi Tychonici ſuperat radicem eiuſdem motus Copernici ad decem ferè minuta. Quare ſequendo illam rationem reuocandi calculum Solis Copernicæum ad Tychonicum, nuſquam differt à vero duobus ſcrupulis. Quæ exigua differentia ideò euenit, quia calculus Solis Tychonicus tunc vſurpatus innitebatur theoriæ Solati abſque æquante circulo, & ſuppoſita ſimplici Solis Eccentricitate, vt habetur in Progymnaſmatis Tychonicis. Sed poſterior Solis Tychonicus calculus habetur ex noſtris Solaribus tabulis in hoc volumine cõtentis ſecũdum poſtremã correctionem Appendicis dictorum Progymnaſmatum. Vt exempli gratia. Sint corrigenda loca Planetarum ad annũ Domini 1613. die primo Februarij, quo hæc ſcribimus, relicto Sole, de quo ſeparatim agemus. Cum dicto anno colligo ex tabula differentiæ, ſeu variationis præceſſionis Aequinoctiorum minuta 14. ferè computatis 36. ſecundis pro vno minuto, & hæc addita locis trium ſuperiorum Planetarum conſtituunt ea correcta. Sed in Venere, Mercurio, & Luna, alia inſuper decem minuta ſunt ſemper addenda, quę proueniunt ob motum Solis medium, cuius radix Tychonica totidem minutis ſuperat radicem Copernicæam, ſiquidem medius Solis motus communis eſt Veneri & Mercurio. Pariter quoque medius motus ☽ componitur ex medio Solis motu, & ex elongatione Lunæ à Sole. Quare ob has correctiones in his tribus inferioribus Planetis addenda erunt hoc anno minuta 24. & prodibunt ſingulorum Planetarum loca ſic ad dictum diem primum Februarij 1613.

		'	
☽	2	58	♎
♄	17	10	♓
♃	25	26	♍
♂	12	58	♊
♀	10	37	♑
☿	22	12	♒

CANON TERTIVS.

Verum Solis locum ex Tychonicis tabulis ad Venetum Meridianum accommodatis depromere.

PRAESTANTISSIMVS vir Tycho Brahe tradit in primo ſuorum Progymnaſmatum tomo rationem Solaris curſus per ſimplicẽ Eccentricitatem deferentis, quam ſtatuit particularum 3584. qualium ſemidiameter Eccentrici habet 100000. recenſens cauſas, cur tantopere lapſus ſit Nicolaus Copernicus, in motu Solis ob eius Eccentricitatem non rectè elicitam, ac ob promotionem Apogæi Solis vltra duos penè gradus quàm

ferat eius verus ſitus. Cumque ſecundum hanc hypotheſim Brahæus ipſe dederit æquationis Solis tabulam, qua hactenus tùm ipſe, tùm alij quoque vſi ſunt, cognoueritque poſtmodū in theoria Solari opus eſſe æquante circulo, ſicut & in reliquis Planetis, ac biſectione ipſius adinuentæ Eccentricitatis, vt patet ex Appendice dictorum Progymnaſmatū, vt ſit deferentis Eccentricitas tantummodo particularum 1792. aut 1800. Nos idcirco æquationum Solis tabulam de nouo condere voluimus, quo ſtudioſis rem gratam faceremus; atque etiam tabulam diſtantiarū Solis à terra, quæ & ipſa admodum euariat à Tychonica, quas quidem tabulas damus in hoc volumine vnà cum tabulis æqualium motuum ipſius Solis à Tychone mutuatis, & ad Venetū Meridianum accommodatis. Quarum tabularum praxis hæc eſto pro computando vero Solis loco.

Primo collige ad propoſitum temporis momentum ex iam dictis tabulis radices motuum Solis, Apogæi inquam, & longitudinis ab Aequinoctio ad annum completum: conſequenterque eoſdem motus colliges ad diem propoſitum, & ad horas, ac minuta. Quibus omnibus in vnam ſummam redactis, prodibit tam verum Apogæum, quàm media Solis longitudo ab Aequinoctio ad propoſitum momentum. Secundo auferes Apogæum à media longitudine, & relinquetur Anomalia Solis annua, ſeu Argumentum medium, cum quo ex æquationum Solarium tabula elicies æquationem Solis auferendam ante ſemicirculum Anomaliæ, & addendam poſt ſimplici longitudini Solis, vt reſultet verus Solis locus.

Primum Exemplum.

Vt ſi quæratur verus locus Solis ad annum Domini 1555. die 14. Iunij, hora 6. min. 57′. p.m. abſoluendus erit calculus in hunc modum.

S	P	′	″	
3	5	5	15	℞. anni 1554. completi.
			20	Dies 14. Iunij.
3	5	5	35	Apogæum Solis.
9	19	4	47	℞. anni 1554. completi.
5	12	37	55	Dies 14. Iunij.
		14	47	hor. 6.
		2	20	min. 57.
3	1	59	49	Longitudo Solis ab Aequinoctio.
3	5	5	35	Apogæum ſubtrahendum.
11	26	54	14	Anomalia annua, ſeu Argumentum Solis.
	0	6	35	Aequatio correcta addenda.
3	2	6	24	Verus locus ☉

Aliud

Aliud Exemplum.

Quæratur locus ☉ ad annum Domini 1650. die 15. Februarij in meridie.

S	P	'	''	
3	6	16	30	℞.anni completi 1649.
			6	Dies 15. Februarij.
3	6	16	36	Apogæum Solis.
9	10	12	5	℞.anni 1649. completi.
1	15	20	23	Dies 15. Februarij.
10	25	32	28	Longitudo Solis ab Aequinoctio.
3	6	16	36	Apogæum ſubtrahendum.
7	19	15	52	Anomalia Solis annua, ſeu Argumentum.
	1	34	29	Aequatio addenda.
10	27	6	57	Verus Solis locus.

CANON QVARTVS.

Eundem Solis verum locum ad quodlibet momentum temporis, ab anno 1500. vſque ad annum 1700. ex Ephemeridibus motus Solis quatuor particularium annorum exacte elicere.

EPHEMERIDES motus Solis ad hos quatuor annos 1600. 1601. 1602. & 1603. mirè ſatisfaciunt pro motu Solis colligendo ad vnum ſæculum tàm ante, quàm poſt, adhibita nimirum correctione per tabellā, quæ mox poſt dictas Ephemerides ſequitur, & adeò quidem exactè prodibit locus Solis ex tali ſupputatione, ſicut etiam ex ipſiſmet Solaribus tabulis, de quibus Canone ſuperiore tractauimus. Vnde non opus eſt, verum locum Solis Tychonicum ad tot annos producere, quando pro reliquis planetis Ephemerides Tychonicæ nō conſtruuntur, veluti Origanus inaniter fecit, confundendo Tychonicum luminarium calculum cum Copernicæo: Nam eadem ferè promptitudine ex his quatuor annis habebitur verus locus Solis, quam ex illius particularibus Ephemeridibus, vt nunc exemplis conſtabit: imo exactior nonnihil erit calculus noſter, cum fundetur in Solari hypotheſi præſupponente æquantem circulum in Sole, quàm ex Ephemeridibus Origani ſimplicem Theoriam à Tychone primo traditam ſequentibus. Oblato itaque temporis momento quocunque intra hos duos annorum centenarios recurres ad Ephemerim motus Solis con-

lis conſimilis anni, quoad biſſextilis rationem, hoc eſt, ſi oblatus annus fuerit biſſextilis, colliges locum Solis ad propoſitum diem & horam anni biſſextilis 1600. Si fuerit primus poſt biſſextilem, vel ſecundus, vel tertius, accipies pariter primum poſt biſſextilem 1601. vel ſecundũ 1602. vel tertium 1603. Poſtea vide differentiam tui propoſiti anni ab hoc aſſumpto anno, quæ ſemper erit ſecundum progreſſionem quaternarij numeri, & cum hac annorum differentia ingredere tabellam æquationis veri loci Solis, quæ continet in fronte duodecim Signa in tribus graduũ ordinibus diſtributa, procedendo ſcilicet per decem gradus veri loci Solis, vnde obſeruabis proximiores gradus, nam in area habebis æquationem veri loci Solis iam ſupputati, addendam eidem poſt radicem, & auferendam ante annum ex quo locum ipſum Solis ſupputaſti, atque ſic conficies verum locum Solis ad vnguem, perinde, ac ſi ex Aſtronomicis motuum Solis tabulis collectus fuiſſet, quemadmodum ex his exemplis certior fies.

Exemplum primum. Sit colligendus verus locus Solis ad annum Domini 1555. die 14. Iunij, h. 6. 57′. poſt merid. Cum hic annus ſit tertius poſt biſſextilem, accipio ad dictum momentum verum Solis locum ex Ephemeri anni 1603. qui ſimiliter tertius eſt poſt biſſextilem, notando quod cũ illa dies ſit iuxta ſtylum veteris Calendarij, congruet cum die 24. Iunij anni correcti. Quare prodit locus Solis in gr. 2. 29′. 4″. ♋, ſublato deinde anno 1555. propoſito ab anno 1603. radicali, fiunt intermedij anni 48. cum quibus ſub initio ♋, à quo noſter locus Solis parum diſtat, colligo æquationem minut. 22′. 40″. quæ ſublata à loco Solis prius ſupputato, relinquit verum locum Solis ad oblatum tempus in gr. 2. 6′. 24″. ♋, ſicut etiam ex tabulis proprijs motus Solis Canone 3. fuit elicitus.

Sit ſecundo quærendus locus Solis ad annum 1650. die 15. Februarij, hora meridiei. Quoniam hic annus ſecundus eſt poſt biſſextilem, idcirco accipio locum Solis ad conſimilem diem anni 1602. nempe gr. 26. 45′. 5″. ♒, cumque ſit intercapedo, ſeu differentia annorum 48. cum hac colligo ſub gr. 20. ♒, æquationem min. 21′. 49″. addendam. Sed quia locus Solis eſt gr. 27. ferè ♒, ideò addo alia tria ſecunda, quòd ſub gr. 0. ♓, æquatio ſit min. 21′. 53″. & reſultat locus Solis gr. 27. 6′. 57″. ♒, congruens prorſus cum loco, quem tabulæ oſtendunt.

CANON QVINTVS.

Locum ☽ verum ex noſtris tabulis ſecundum Tychonicas hypotheſes elaboratis promptiſſimè adinuenire.

QVANTVM laboris ac tædij afferat ſtudioſis intricata, ac perplexa Lunaris curſus forma à Tychone propoſita, non paucis notum eſt, quoniam

niam multiplices operationes, quę in huiuſmodi calculo concurrunt, quęuis exercitatum in Aſtronomicis calculis ac oculatum non ſemel fallere poſſunt. Quocirca non potui me continere, vt ſtudioſis rem gratam facerem, quominus plures dies pro reductione huius Lunaris calculi ad compendioſiorem methodum abſumerem; neque ambigo omnes, qui Tychonicas tabulas Lunaris motus euoluunt, multum admiraturos eſſe, quo modo laborioſiſſimus hic calculus Tychonicus potuerit ad tantam facilitatem reduci, vt promptiſſimè ac nullo ferè labore locum Lunæ verum ad quodcunque tempus nobis prodat hac obſeruata forma.

Primo quidem ex Canone 3. habeas ad datum temporis momentum verum locum Solis, obſeruando æquationem temporis iuxta rationem inæqualitatis dierum naturalium, cuius æquationis tabella habetur in Primo noſtro Supplemento Iſagogicarum Ephemeridum, niſi talem correctionem ob exiguam differentiam in loco Solis negligere volueris, præſertim cum pro annuis reuolutionibus Solis, commodius ſit habere locum Solis inæquatum, vt aliàs diximus.

Secundo, ex Lunaribus tabulis ad idem temporis momentũ correctum ob rationem inæqualitatis dierum naturalium ad Lunæ motum propriè accommodatam iuxta ſequentem Canonem, ſi tibi placuerit, vel etiam ad tempus ipſum inæquatum, excetpe longitudinem Lunæ ab æquinoctio ſimplicem, Anomaliam ☽ mediam, & motum nodi Borei ſimplicem, ſeu ☊.

Tertio, cum Anomalia ☽ media elice ex prima æquationum Lunarium tabula æquationem Epicyclicam, cum qua iuxta tituli ſui indicationem corriges tàm longitudinem Lunæ ſimplicem, efficiendo longitudinem ☽ ab Aequinoctio æquatam, quàm Anomaliã eiuſdem mediam, conficiendo Anomaliam æquatam, ſeu Argumentum verum.

Quarto, aufer verum motum Solis à longitudine Lunæ ab Aequinoctio æquata, & relinquetur diſtantia vera ☽ à Sole, quæ ſi exceſſerit ſex ſigna, exceſſus ſupra ſemicirculum dicetur diſtantia ☽ ab oppoſito loco Solis. Cum qua quidem diſtantia Lunæ à Sole, vel ab eius oppoſito, confugies ad tabulam cui titulus eſt, *Aequationis Eccentricitatis compoſitæ*, ingrediendo cum ea in fronte, quando minor eſt tribus ſignis, & à latere ſiniſtro ſumendo ſigna & gradus Anomaliæ Lunæ æquatæ. Sed in calce tabulæ accipe diſtantiam ☽ à Sole, vel eius oppoſito, cum fuerit maior tribus ſignis, vſque ad ſex completa ſigna, tuncque obſeruanda eſt Anomalia ☽ æquata in ſignis & gradibus à latere dextro dictæ tabulæ, & vtroque modo ex area depromes æquationem Eccentricitatis, quam dicimus compoſitam, quia conſtat ex æquatione Eccentricitatis, & variatione centri. Quæ quidem addenda eſt, vel auferenda, iuxta ſuum titulum in capite, vel calce tabulæ notatum à longitudine Lunæ ab Aequinoctio æquata; vt proueniat verus Lunæ locus in propria orbita, qui poſtmodum ad Ecli-

pticam referendus eſt, vt dicemus infra. Cæterum ſi contigerit reperiri in area tabulæ literam A, vel S, ſcias tunc fieri mutationem affectionis ipſius æquationis, & faciendam eſſe additionem ſi fuerit litera A, & ſubtractionem, ſi fuerit litera S.

Notandum quoque eſt, quod in tabula hac æquationis Eccentricitatis poſuimus ſecunda ſcrupula, vſque ad 16. gradum diſtantiæ Lunæ à Sole, vel ab eius oppoſito, quia illa tabulæ pars vſum habet in ſupputatione Eclipſium, & coniunctionum atque oppoſitionum luminarium, in quibus exactior requiritur calculus. Vltra illos 16. gradus diſtantię ☽ à Sole, non opus eſt tanta præciſione in ſecundis ſcrupulis.

Exemplum.

Quæratur Lunæ locus ad annum Domini 1555. die 14. Iunij, hora 6. min. 57. poſt meridiem, quo temporis momento ſupra Canone 3. elicuimus verum locum Solis in gr. 2. 6'. 24''. ♋. Ecce calculus.

S	G	'	''	
0	17	8	16	℞. anni 1554.
0	14	6	19	Dies 14. Iunij.
	3	17	39	hor. 6.
	0	31	18	min. 57.
1	5	3	32	Longitudo ☽ ab Aequinoctio.
7	9	28	58	℞. anni 1554.
11	25	43	20	Dies 14. Iunij.
	3	15	58	hor. 6.
	0	31	2	min. 57.
7	8	59	18	Anomalia ☽ media, ſeu Argumentum.
	3	12	19	Aequatio Epicyclica addenda.
7	12	11	37	Anomalia ☽ æquata.
1	8	15	51	Longitudo ☽ ab Aequinoctio æquata.
3	2	6	24	Verus locus Solis ſubtr.
10	6	9	27	Diſtantia ☽ à Sole.
4	6	9	27	Diſtantia ☽ ab oppoſito eiuſdem.
	0	24		Aequatio Eccentricitatis ſubtr.
1	7	51	51	Verus ☽ locus in propria orbita.

CA-

CANON SEXTVS.

De æquatione temporis reſpectu motus Lunaris.

TESTATVR Brahæus in Progymnaſmatis, Lunæ motum particulari indigere æquationum tabula, ob inæqualitatem dierum naturalium ab altera eiuſdem generis diuerſa, quæ vſurpari ſolet in Sole ac reliquis Planetis, & illa quidem habetur in noſtro Supplemento Iſagogicarum Ephemeridum ad mentem eiuſdem Brahæi. In hac autem ſubſequente Lunæ motui deſtinata fit ingreſſus cum vero Solis loco in capite tabulæ, & à ſiniſtro latere: vel in calce, & à dextro latere reperto, & quod in area excerpitur addendum vel auferendum eſt à tempore apparente, vt in tempus æquale conuertatur colligendis motibus aptum. Quòd ſi hac temporis æquatione neglecta ſupputare libuerit Lunæ motum, corrigendus ille erit poſtea ob hanc cauſam, addendo illi vel auferendo dimidium ipſius æquationis. Vt in ſuperiore Lunari exemplo, cum ſit locus ☉ gr.2.6'.♋, recurro ad ſequentem tabellam, & video reſpondere temporis æquationem m. 0'.45''. addendam ipſi tempori propoſito, vt in tempus æquale conuertatur pro colligendo ☽ motu: ſed quia ſupputauimus ipſam ☽ abſque aliqua temporis correctione; ideò opus eſt corrigere ipſummet Lunæ locum, quod fiet addendo dimidium ipſius æquationis, nempe 23''. eò quia ſingulis duobus minutis temporis Luna peragrat vnum ferè minutum in Zodiaco, & ſic prodibit Luna in gr.7. 52'. 14''. ♉.

E conuerſo, ſi æquale tempus ad inæquale & apparens fuerit reducendum, contrarium titulum ſeu affectionem ipſius æquationis obſeruare conuenit, ideſt, quando tabula habet titulum additionis: hinc auferri debet ipſa æquatio, & quando habet titulum ſubtractionis addenda erit.

Tabula

Tabula Aequationis temporis in ☉

	♈ ♎		♉ ♏		♊ ♐		
	Subtrahe.						
	′	″	′	″	′	″	
0	0	0	8	25	8	47	30
1	0	20	8	36	8	37	29
2	0	40	8	45	8	26	28
3	0	59	8	55	8	15	27
4	1	19	9	4	8	3	26
5	1	39	9	12	7	50	25
6	1	59	9	19	7	36	24
7	2	18	9	26	7	22	23
8	2	38	9	32	7	7	22
9	2	57	9	37	6	52	21
10	3	16	9	42	6	36	20
11	3	35	9	46	6	20	19
12	3	53	9	50	6	3	18
13	4	12	9	52	5	46	17
14	4	30	9	54	5	28	16
15	4	47	9	56	5	10	15
16	5	5	9	56	4	51	14
17	5	22	9	56	4	32	13
18	5	38	9	55	4	12	12
19	5	55	9	53	3	53	11
20	6	11	9	51	3	33	10
21	6	26	9	48	3	12	9
22	6	41	9	44	2	51	8
23	6	56	9	40	2	31	7
24	7	10	9	34	2	9	6
25	7	24	9	28	1	48	5
26	7	37	9	21	1	27	4
27	7	50	9	14	1	5	3
28	8	2	9	6	0	43	2
29	8	14	8	57	0	22	1
30	8	25	8	47	0	0	0
	Adde						
	♓ ♍		♒ ♌		♑ ♋		

CANON SEPTIMVS.

Verum locum nodorum Lunæ, ſeu ☊, & ☋ ad datum tempus explorare.

MOTVS nodorum ☾, quem hactenus Aſtronomi omnes Ptolemæũ ſequuti æquabilem eſſe putarunt, hoc eſt ſingulo die in ſignorum præcedentiam ſcrupulis tribus cum vndecim ferè ſecundis promoueri; Tycho Brahe anomalum, ſeu irregularem eſſe obſeruationibus ſuis cognouit, affirmans maximam efficere variationem ad integrum gradum, ac 46. primis ſcrupulis à loco eius medio ex tabulis elicito. Qui profectò motus verus nodorum tali via à nobis adinuenietur. Ad datum tempus ſume primo radicem annuam motus ☊, ideſt ad annum completum: deinde mox ſecundo collige eundem motum ad diem propoſitam ac ad horam & minutum, coniungendo ſcilicet motum hunc dierum, horarum, & minutorum inſimul, & quod prodit ſubtrahe à dicta radice annua, & relinquetur motus medius ipſius ☊ ad momentum propoſitum. Tertio cum vera diſtantia ☾ à Sole, vel ab eius oppoſito, elice æquationem ☊ ex propria tabella, & latitudinem ☾ maximam adſeruandam pro definienda vera latitudine. Hanc verò nodorũ, ſeu ☊ æquationem adde, vel aufer à medio motu ☊, prout eius titulus indicabit, & ſic definies verum eius locum in Zodiaco.

Vt in noſtro aſſumpto exẽplo Lunaris motus ad annũ Domini 1555. die 14. Iunij, h. 6. 57'. p. m. inueſtigo locum ☊ tali forma calculi.

S	P	'	"	
3	1	13	1	℞. anni 1554. completi ☊
0	8	44	15	Motus ☊ ad diem 14. Iunij.
			48	ad horas 6.
			8	pro min. 57.
0	8	45	11	Aggregatum huius motus ſub. à ℞.
2	22	27	50	Medius motus ☊ ad dictum tempus.
10	6	9	27	Diſtantia ☾ à ☉
	1	40	10	Aequatio nodi, ſeu ☊ add.
	5	11	1	Latitudo Lunæ maxima.
2	24	8	0	Verus locus ☊.

CANON OCTAVVS.

Latitudinem ☽ veram Tychonica ratione adinuenire.

AFFIRMAT Brahæus in ſuis Progymnaſmatis, Lunæ latitudinem maximam non eſſe graduum quinque inuariabiliter, vt hactenus ab omnibus Aſtronomis vnanimi conſenſu creditum fuit, cum in nouilunijs ac plenilunijs tantum ad hanc quantitatem quamproximè accedat, vbi quidem ab Ecliptica ipſa Luna grad.4. & min. 58. cum ſemiſſe expatiatur: Sed tamen in quadraturis cum Sole hanc elongationem excedit ad trientem gradus, vt fiat grad. 5. min. 17. & ſemis. Quo fit, vt alia ratione ac methodo latitudo particularis ☽ ſit indaganda, quàm per vſitatam latitudinis Lunæ tabellam, quæ hactenus vſurpata fuit. Quare cum neceſſe erit veram Lunę latitudinem cognoſcere ad datum tempus, opus eſt, vt primo ex præcedente Canone habeas verum motum ☊, ac etiam latitudinem ☽ maximam, quam ſupra cum vera diſtantia ☽ à Sole eliciiſti. Deinde ſublato vero motu ☊ à vero Lunæ loco in propria orbita, relinquetur motus latitudinis coæquatus, quem Argumentum latitudinis Lunæ dicimus. Huius Argumenti ſigna comperias in fronte tabulæ, & à latere ſiniſtro gradus: vel in calce tabulæ ſigna, & à latere dextro gradus, & in area ſub columna deſtinata latitudini maximæ, habebis latitudinem ipſam quæſitam: Sed cum latitudo maxima notetur ſingulis quinis ſcrupulis, oportebit per partem proportionalem ipſam latitudinem emendare. Hæc autem collecta latitudo Septentrionalis erit, vel Meridiana ſecundum indicationem tituli adhærentis ipſi ſigno.

Vt ſi quęratur Lunæ latitudo ad noſtrum aſſumptum tempus, quo Lunæ motum elicuimus. Quoniam igitur datus fuit locus ☊ gr.24. 8. ♊. ſi auferatur à vero Lunæ loco in propria orbita, qui Canone 6. dabatur in gr.7. 52′. 14″. ♉, relinquetur argumentum latitudinis Lunæ ſign.10. gr. 13. 44′. Ex ſuperiore autem Canone dabatur latitudo ☽ maxima gr.5. 11′. Itaque ſumendo in calce tabulæ latitudinis ☽ Tychonicæ ſigna 10. cum gr.13. 44′. ſub columna latitudinis maximæ gr. 5. 10. excipio latitudinem Lunę quæſitam gr. 3. 44′. neglectis ſecundis, quam dico eſſe meridianam.

CANON NONVS.

De reductione veri loci Lunæ in propria orbita ex tabulis Lunaribus ſupputati ad Eclipticam.

LOcvs ☽ verus, qui ex calculo tabularum Lunarium emanat iuxta formam Canonis quinti, intelligitur eſſe in plano orbitæ ipſius Lunæ, quæ ad Eclipticam inclinata eſt. Quo fit vt ad Eclipticam ipſum ſit reducendum per ſubſequentem tabellam, in quam fit introitus cum vero, & coæquato motu latitudinis Lunæ, quem Argumentum latitudinis dicimus, cuius inuentio patet Canone octauo, quærendo ſcilicet ſignum in fronte, & à latere ſiniſtro gradus: vel ſumendo ſignum infra & à dextro latere gradus, & ex area obtinebis æquationem loci orbitæ adiectiuam, vel ablatiuam à loco Lunæ in orbita eius ſupputato, vt ad Eclipticam reducatur.

Exemplum.

Cum ſupra Canone quinto ſit exploratus Lunæ locus in orbita, & ſequente Canone ſexto ſit correctus ob rationem peculiarem ipſi Lunæ ibi expreſſam in gr. 7. 52′. 14″. ♉. Cumque detur ex Canone octauo Argumentum latitudinis ſign. 10. gr. 13. 44′. cum hoc ingreſſus ſequentem tabulam colligo æquationem loci orbitæ min. 6′. 59″. addendam, vnde euadet verus locus Lunæ ad Eclipticam reductus gr. 7. 59′. 13″. ♉.

Quòd ſi vice verſa locum Lunæ per inſtrumenta obſeruatum in Ecliptica, ad propriam orbitam reuocare volueris, contrarium ipſis titulis facito ad vnguem.

Tabella

Tabella reductionis loci veri ☽ ad Eclipticam.

Argum.	0		1		2		Argum.
	6		7		8		
	Subtrahe						
	'	"	'	"	'	"	
0	0	0	6	6	6	5	30
1	0	15	6	12	5	57	29
2	0	30	6	18	5	48	28
3	0	45	6	24	5	39	27
4	0	59	6	29	5	30	26
5	1	13	6	35	5	21	25
6	1	27	6	40	5	12	24
7	1	42	6	44	5	1	23
8	1	56	6	47	4	51	22
9	2	10	6	51	4	40	21
10	2	24	6	54	4	29	20
11	2	38	6	56	4	18	19
12	2	52	6	57	4	7	18
13	3	6	6	58	3	55	17
14	3	19	6	59	3	42	16
15	3	32	7	0	3	31	15
16	3	43	6	59	3	18	14
17	3	56	6	58	3	5	13
18	4	8	6	57	2	51	12
19	4	19	6	56	2	38	11
20	4	30	6	54	2	23	10
21	4	41	6	51	2	9	9
22	4	52	6	47	1	55	8
23	5	2	6	44	1	41	7
24	5	12	6	40	1	26	6
25	5	22	6	35	1	12	5
26	5	31	6	28	0	58	4
27	5	40	6	23	0	45	3
28	5	49	6	17	0	30	2
29	5	58	6	11	0	15	1
30	6	6	6	5	0	0	0
	Adde						
Latit.	11		10		9		Latit.
	5		4		3		

CANON DECIMVS.

Methodus adinueniendi verum locum Martis ex noſtris tabulis, ſecundum Tychonis & Kepleri hypotheſes, ac obſeruationes.

PRIMO quidem ex tabulis motuum Solis ad datum tempus habeas verum eius locum per Canonem tertium, ac diſtantiam eiuſdem à terra, quæ obtinetur ingrediendo tabulam diſtantiarum Solis à terra cum Anomalia Solis.

Secundo collige ad idem tempus ex tabulis mediorum motuum Martis motum longitudinis eius ab Aequinoctio Apogæum, & locum Nodi Borei, ſeu ☊ draconis ♂.

Tertio aufer motum Apogæi ♂ ab eiuſdem motu longitudinis, & relinquetur Anomalia Eccentrici. Cum qua ex priore æquationum Martis tabula ſumes æquationem centri cum ſuo titulo, & diſtantiam Martis à Solæ, quæ intelligitur eſſe numerata ab ipſo Solis centro vſque ad ♂, in diametro ſcilicet orbitæ ipſius Martis. Hanc verò centri æquationem aufer à motu longitudinis Martis in priore ſemicirculo Anomaliæ Eccentrici, & adde in poſteriore, prout tituli indicant, & efficies verum locum Martis Eccentricum, ideſt eum, quem deſignat recta è corpore Solis per Planetæ corpus ad Primum Mobile porrecta, in orbita tamen eius. Hic locus Eccētricus in vſitatis tabulis ſecundum Ptolęmaicam formam, vocatur verus locus centri Epicycli.

Quarto ſubtrahe locum nodi Borei, ſeu ☊ ♂ à dicto loco Martis Eccentrico in Planetæ orbita, & relinquetur diſtantia eius à nodo ipſo Boreo. Cum qua in poſteriore æquationum Martis tabula colligetur ſub prima columna inclinatio loci ipſius orbitæ ab Ecliptica adſeruata pro latitudine inuenienda, & ſub ſecunda columna æquatio loci Eccentrici in ſcrupulis ſecundis, quæ addenda vel auferenda eſt iuxta indicationem ſui tituli à loco Martis Eccentrico in propria orbita, vt is euadat in Zodiaci plano cognitus. Sic quoque è regione eiuſdem gradus diſtantię à nodo elicies ſub integro ſigno Anomaliæ Eccentrici numerum particularum, quæ ſemper auferendæ ſunt à diſtantia Martis à Sole prius inuenta, vt prodeat diſtantia eiuſdem à Sole ſumpta in diametro Eclipticæ, vſque ad punctum illud, ſuper quod Mars perpendiculariter imminet.

Quinto comparabitur locus Martis Eccentricus in Zodiaco cum propinquiore loco Solis, vel eius oppoſito, & vtriuſque differentia erit angulus Anomaliæ commutationis ſeu orbis, & Keplero dicitur etiam angulus ad Solem, & in vſitatis tabulis Aſtronomicis ſolet vocari Argumentum Planetæ verum; quod ſemper remanere debet minus ſemicirculo.

Sexto cum hoc angulo Anomalię commutationis, & cum diſtantia Solis à

lis à terra primo adinuenta, atque etiam cum diſtantia Martis à Sole ſuperius correcta in Eclipticæ diametro; quæ duæ diſtantiæ comprehendunt dictum angulum in triangulo obliquangulo rectilineo, adinueniemus angulum æquationis orbis vel Argumenti Planetę in hunc modum iuxta 16. propoſitionem noſtri libri de Planis Triangulis. Fiat igitur vt aggregatum ambarum diſtantiarum ad eorundem differentiam, ita tangens dimidij dictæ Anomaliæ ad tangentem, cuius angulus ſublatus à dicto dimidio producit angulum æquationis quæſitæ. Quæ ſanè æquatio addenda eſt vero loco Martis Eccentrico in Ecliptica in priore ſemicirculo Anomaliæ commutationis, ſeu Argumenti veri, ideſt, quando facta fuit ſubtractio loci ♂ Eccentrici à vero loco ☼, & auferenda in poſteriore, nempe quando vice verſa fuit ſubductus verus locus ☼ à loco ♂ Eccentrico, vt prodeat verus locus Martis in Zodiaco Primi Mobilis.

Exemplum primum.

Proponatur adinueniendus locus verus Martis ad annũ Domini 1582. hie 26. Decembris, h. 8. cum dimidia, quo temporis momento fuit per inſtrumenta obſeruatus à Tychone Brahe in gr. 17. 40′. 30″. ♋ cum latitudine Boreali grad. 4. min. 7. Primo itaque reduco hoc tempus ad meridianum Vraniburgi additione vndecim minutorum, vt euadant h. 8. m. 41. nam quando Vraniburgi eſt hora 8. cum dimidia, tunc Venetijs, vbi hæ noſtræ tabulæ accommodatæ ſunt, erit hora 8. min. 41′. Ad hoc igitur temporis momentum colligo ex tabulis motuum Solis & Martis medios motus, & perficio calculum, vt ſequitur.

S	P	'	''		
9	15	3	4	Verus locus Solis.	g. ' ''
4	28	39	16	℞.anni 1581.completi.	1 35 13 Inclinatio loci.
		1	16	Motus ad diẽ 26. Decembr.	
4	28	40	22	Apogæum ♂.	
8	29	39	55	℞. anni 1581. completi.	
6	8	39	55	Dies 26. Decembr.	
		10	29	hor. 8.	
			53	min. 41.	
3	8	31	12	Lõgit. media ♂ ab Aequin.	
4	28	40	22	Apogęum ſubtr.	
10	9	50	50	Anomalia Eccentrici.	
	7	34	47	Aequatio centri add.	
3	16	5	59	Locus ♂ Eccẽtr. in orbita.	
1	16	31	32	Locus nodi Borei, ſeu ☊ ſub.	
1	29	34	27	Diſt. loci Eccentr. ♂ à ☊.	Diſt. ♂ à ☼ —— 162064
			46	Aequatio loci Eccentr. ſub.	61
3	16	5	13	Locus ♂ Eccẽtr. in Eclipt.	Diſt. ♂ à ☼ corre. 162003
9	15	3	4	Verus locus ☼	98228
5	28	57	51	Anom. orbis, ſeu commutationis.	Aggregatum 260231 Differentia 63775
2	29	28	55	Dimidium, cuius tangens ——	11059553
2	27	53	20	* angulus ſubtrahend.	Prod. ex mult. 705322992575
	1	35	35	Aequatio orbis add.	Partire per aggregatum & colliges 2710372, cuius angulus
3	17	40	48	Verus locus ♂.	gr. 87. 53'. 20''. *

Hic noſter computus conſentit cũ obſeruatione, ſed ex ſuis tabulis Keplerus ſupputauit ipſum ♂ in gr. 17. 44'. 19''. ♋. Vnde conijcio meas eſſe fortaſſe exactiores.

Memento quod poteris effugere tędioſam diuiſionem numeri producti ex multiplicatione tangentis in differentiam, reijciendo ab ipſo quinque vltimas notas, vt relinquatur 7053230, poſtea per ſecundum Compendium Primę Analogię cap. 3. Primi libri noſtri Primi Mobilis conuertes aggregatũ iam dictum 260231, quod pro diuiſore habuiſti, tanquam ſi eſſet ſecans ſecunda in ſinum primum 38427. nam ipſi aggregato tanquã ſecanti ſecundæ congruit arcus gr. 22. 35'. 55''. cuius ſinus primus eſt 38427. per quem ſinum vbi multiplicaueris numerũ ſuperiorẽ 7053230, poſt diuiſionem per integrum ſinũ produces eandẽ tangentem 2710344.

cuius angulus eſt gr.87. 53′. 20″. ſicut ſupra, qui reijci debet à dimidio Anomaliæ orbis, vt relinquatio orbis.

Exemplum ſecundum.

Detur nunc alia eiuſdem Tychonis obſeruatio de ♂, in qua occurrat anomaliam orbis eſſe in poſteriore ſemicirculo, quod euenit quando vice verſa ſubtrahitur verus locus ☉ à loco ♂ Eccentrico, vt remaneat Anomalia orbis numerata in præcedentia, minor ſemicirculo. Sit igitur annus 1591. 28. Iunij anni veteris, & 8. Iulij anni correcti, h. 10. m. 24. in meridiano Vraniburgi, ſeu h. 10. m. 35. in meridiano Veneto, quo temporis momento obſeruatus fuit Mars in gr. 21. 10′. ♐ cum latitudine gr. 4. 45. Auſtrali. Sic igitur perficietur ſupputatio.

S	P	′	″		
4	28	49	18	℞. anni 1590.	g. ′ ″
			35	Dies 8. Iulij.	1 26 52 Inclin. loci.
4	28	49	53	Apogæum ♂.	
6	7	2	38	℞. anni 1590.	
3	9	2	57	Dies 8. Iulij.	
		13	6	hor. 10.	
			46	min. 35.	
9	16	19	27	Longitudo ♂ ab Aequin.	
4	28	49	53	Apogæum.	
4	17	29	34	Anomalia Eccentrici.	
	7	48	14	Aequatio centri ſub.	
9	8	31	13	Locus ♂ Eccentric. in orb.	
1	16	37	25	Nodus Boreus, ſeu ☊ ♂.	Diſtantia ♂ à ☉ 142590
7	21	53	48	Diſtantia à ☊.	Aequatio diſt. ſub. 46
			52	Aequatio loci Eccentr. ſub.	Diſt. ♂ à ☉ corr. 142544
9	8	30	21	Locus ♂ Eccentr. in Eclip.	Diſtantia ☉ à terra 101757
3	15	50	54	Verus locus ☉	Aggregatum 244301
5	22	39	27	Anom. orbis in præc.	Differentia 40787
2	26	19	43	Dimidium, cuius tangens	1558466
2	8	58	36	* Angulus ſub.	Prod. ex mult. 63565152742
0	17	21	7	Aequatio orbis ſub.	Num. ex diuiſ. pdiés 260192
					Huius arcus gr. 68. 58′. 36″. *
8	21	9	14	Verus locus ♂ propius accedens ad obſeruationem, quàm calculus Kepleri, ex quo pag. 263. de motu ♂ prodit in gr. 21. 4′. 21″. ♐.	

CA-

CANON VNDECIMVS.

Pro vera Martis latitudine indaganda.

Eodem in capite moneo de peculiari inæqualitate reuolutionum Veneris, & Mercurij, quod Copernicus ait contra Eccentrorum reuolui in paruo circello, fierique centrum Eccentrici Veneris, cum in Apogæo, vel Perigæo eſt, centro orbis annui propius, cum in locis intermedijs eſt, remotius, & Eccentricitatem maiorem contra Mercurij in Apogæo, & oppoſito loco Eccentricitatem eſſe maiorem, in quadrantibus minorem. Has inquam nouas inæqualitates non obſcurè in dubium vocaui. Id autem quale ſit, & vnde hæ inæqualitates inferioribus ineſſe videantur, hoc ipſo tempore deprehendo, quo Praga abſum in Styria, hæreditatis cauſa: niſi quod libris deſtitutus numeros applicare nequeo. Tu verò ſi ſchema feceris ad imitationem Copernici, & Apogæa Solis, Veneris, & Mercurij ordinaueris, ſimulque duos pro Terra circulos duxeris, alterum pro via terræ hactenus credita, alterum ex Soli propiore centro pro via Terræ veriſſima, cui prior ille loco æquantis Ptolemaici inſeruiat. (Nam vniuerſalem Theoriarum, ſiue circulorum Planetariorum ordinationem facio ad imitationem Copernici circa Solem immobilem, particulariter verò Theorias ſingulas more Ptolæmaico, cum æquipolleant hypotheſes, adminiſtro, ſolo Epicyclo excepto, qui tollitur à mobilitate Terræ,) hæc inquam ſi ita diſpoſueris, facilè tibi apparebit, has exiſtimatas inæqualitates inferiorum, nihil aliud eſſe quàm parallaxim ex motu, vel acceſſu & receſſu Terræ ad orbem Veneris, hactenus non ſatis cognito reſultantem. Nam quia Apogæa Solis, & Veneris coniuncta ferè ſunt, ideoque Terra à Sole longiſſimè remota, cum putetur tam longè remota, quantum poſtulat æquatio Solis maxima in Eccentricitate ſimplici; ſit vero in rei veritate propior Soli, propior etiam erit orbi Veneris, Soli circumpoſito: itaque Venerei orbis centrum ad terram acceſſiſſe, & in oppoſito Terræ ſitu, ab ea receſſiſſe putabitur. Ita quod ineſt globo Terræ (vel Soli, qui Veneris orbem geſtat, ſecundum Tychonem) id orbi Veneris ineſſe putatur. Contrarium accidit in Mercurio. Nam eius Apogæum Perigæo Solis propius eſt quam Apogæo. Parco verbis; cum vel hactenus verborum nimium coram ſagaciſſimo homine fecerim. Cum igitur hoc ita habeat circa inferiores, in magna dubitatione ſum, an verum ſit de Mercurio, quod geminum Perigæum habeat circa trientes. Si ſchema quale dixi, feceris, apparebit demonſtratio, qua Mercurius in primo triente ab Apogæo maiorem digreſſionem facere deprehenditur, quam in Perigæo, in altero vero triente minorem. Fortè in illo altero non fit conſpicuus, aut non extant forſan in Ptolemæo alterius trientis obſeruationes. Quæ omnia facile perquires: ego iam libris careo. Memini tamen Ptolemæum in Mercurio ex

duabus obſeruationibus longè diſtantium annorum vnam anni intermedij effinxiſſe, qua commodè vteretur. Itaque mihi parum à Ptolemęo metuo in hoc negocio. Adde quod magnum aliquid infert inclinatio plani Mercurialis ad planum Eclipticæ, quam in forma hypotheſium Copernici inueni maiorem Lunari, ſcilicet graduum 7. 45'. circiter, quamuis latitudo viſa nunquam tanta fiat. Itaque ſi gradus 45. à nodo in alterum trientem ab Apogæo incidit, ſedecim minutis alteratur punctum Eclipticæ reſpondens, à puncto orbis Mercurialis, lineis ex Sole eductis, quæ differentia aliquid inferre, & illam φαντασίαν, de gemino ſtellæ Perigæo cauſis alijs concurrentibus adiuuare poteſt. Simile his eſt, & procul dubio ex eadem cauſa manans, quod Ptolemaus, eiuſque hic imitator in alia hypotheſi Copernicus, inclinationes planorum in Planetis libratione aliqua, quæ ſit reuolutioni Solis analogos, inſtabiles reddunt. Id mihi ſemper alienum à natura viſum; etſi quidem latitudinum in meo libello non feci mentionem: at deprehendi in Marte inclinationem plani conſtantiſſimam, quoties in eundem locum Eccentrici recurrit, quorſumcunque Terra receſſerit. Idem in Venere & Mercurio circa nodos eorum exploratum habeo.

Hæc ſi, Magine ſolertiſſime, fueris vnico mentis intuitu complexus: mecum equidem ſtatues, omnium ſeptem Theoriarum, quod motus ſiderum reales attinet, formam eſſe planè eandem, eamque ſimpliciſſimam; quilibet enim in vna reuolutione conſtantiſſimum exactiſſimumque circulum decurrit, tardius ſupra, velocius infra, hoc eſt, prope Solem, idque non per φαντασίαν, ſed re vera. Nam Tycho etiam in Luna æquantem adhibuit. Ex qua concinnitate, & ſimplicitate, hoc eſt, perfectione motuum cæleſtium, quantum Copernico roboris accedat, facilè perſpicis. Nam etſi Tycho Copernicum quam proximè imitatur, & repræſentat, retenta Terra in medio immobili: illud tamen cauere non poteſt, quin vias, per quas Planetæ in liquidiſſimo æthere (quod ipſi facile credo) girantur, in ſpiras inæqualiter, ſemperque aliter contorqueat.

At non ideò facilior fiet calculus. Imò quanto captu planior hæc Aſtronomiæ forma, tantò computatu laborioſior, inuentu intricatior.

Quod ad inuentionē attinet, periculū in Marte feci. Vnde demonſtrationum initium facerem, non habui. Erant omnia incerta. Quod ſi quis fortunam periclitari, & præſupponere aliqua ceu certa velit, eaque ſuppoſitione identidem variata, quaſi per regulam falſi, paulatim ad veras dimenſiones contendere, illi in tanto numero quærendorum non facilè apparet, qua in parte lateat error; proceſſus verò ſinguli ab initio ſuppoſitionis vſque ad finem penè infinitæ longitudinis. Itaque diuino me beneficio Magine præſtantiſſime afficeres, ſi me doceres via faciliori inquirere compoſitas Eccentri æquationes. Rem quidem eò perduxi, vt mihi non plus duabus multiplicationibus opus ſit. At dum nimia cupiditate feror

in in-

in inquiſitionem veriſſimarum proportionum, tabulas æquationum nullas condo, quibus in operando ſubleuer: cum non ita magnus ſanè labor ſit, trecentas ſexaginta multiplicationes pro 180. gradibus perficere. Labor, inquam, non ita magnus, ſi ſemel ſuſciperetur. At toties nouam condere tabulam; quoties aſſumpta ſymmetria falſa deprehenditur, id verò permoleſtú, & præſtabilius tuo myſtico numero vti ad eas ſolas æquationes eliciendas, quibus pro re nata opus eſt.

Cum itaque diu laboraſſem, variaque demonſtrationum adminicula effinxiſſem: tandem in hæc duo problemata incidi, quæ ad rem maximè facere puto: quorum alterum plus certitudinis, alterum plus ingenij habere videtur.

Detur angulus motus medij Planetę, itemque Solis circa puncta ęquãtum: ad temporis quodlibet ſpatium determinatum. Detur & locus Solis verus ad momentum quodlibet cum quo datur & Apogæum, & Eccẽtricitatis compoſitæ ad orbem proportio.

Neſciatur verò longitudo ſimplex Planetæ. (Nam & circa hanc corrigendam artifices occupantur) neſciatur locus Apogæi (potius ἀφηλίου) Planetæ, neſciatur proportio orbium Terræ (ſeu Solis) & Planetæ, neſciatur proportio eccentricitatis Planetæ ad orbem ſuum, neſciatur proportio partium huius Eccentricitatis, neſciatur etiam in Theoria Solis (vel Terræ) proportio partium Eccentricitatis compoſitæ. Dentur iam tres Planetæ ἀκρονύχοι obſeruationes, & ſingulis binæ aliæ obſeruationes adiungantur ſic comparatæ, vt Planeta poſt integras reuolutiones (quæ inter data ſunt) ſemper ſit iterum in eodem loco ſui Eccẽtri, linea ex centro Solis educta. Ex nouem ſic comparatis obſeruationibus Planetæ, datiſque cæteris, ſint inquirenda omnia quæ neſciri dixi. Primo in qualibet obſeruationum triga ſcitur locus ſub fixis, cauſa longitudinis, in quem cadit linea ex centro corporis Solaris per Planetæ corpus educta. Nam in vera oppoſitione cum Sole locus ille patet oculis in binis verò ſocijs beneficio periodi cognitæ ſcimus Planetam eodem eſſe reuerſum, vbi fuit in ἀκρονύχῳ ſitu. Cum ergo ſint tres trigæ, ter ergo ſcitur locus Planetæ ſub fixis.

Deinde cum Planeta, & Terra nõ faciant vllam vnquam omnimodam ἀποκατάστασιν, fit vt Planeta ter eodem in loco ſui Eccentrici verſante, Terra contra tria diſtincta loca poſſideat. Itaque cum detur locus Solis, ſeu Terræ oppoſitus ad omnes tres vices, dantur etiam anguli commutationis veri, & tales quales ex angulis commutationis ſimplicis per vtriuſque & Planetæ, & Terræ æquationes corrigentes extrueremus, ſi iam haberemus tabulas: tertio ex his habebitur per ſolutionem vnius trianguli (Sol, Terra, Planeta) diſtantia Solis, & Terræ, eaque bis. Nam terra inter verum Solem & Planetæ locum verſante, nulla fit longitudinis parallaxis, ſeu commutatio. Itaque per aliud huic implexum problema, cum ſciatur locus Apogæi terræ, ſcribitur etiam angulus Anomaliæ, ad vtramque diſtantiam

ſtantiam Solis, & Terræ. Ex duorum itaque locorum à ſuſcepto puncto diſtantijs, & vtriuſque à loco Apogæi remotione, inquiritur quantitas orbis terreni, ſeu magni in ea menſura, in qua præſuppoſuimus cognitam eſſe Planetæ à Sole diſtantiam vno loco Eccẽtrici ſui; inquiritur indidem etiam diſtantia ſuſcepti puncti (quod eſt centrum viæ Terræ) à centro Solis. Hoc vti fit in vna triga obſeruationum, ita fit etiam in altera, & tertia. Sed in altera Planeta eſt alio loco ſui Eccentri, in tertia eſt tertio loco ſui Eccentri, habetque inæquales à Sole diſtãtias, quas ſemper initio demonſtrationis ponimus eſſe 100000. Eſt itaque neceſſe, vt quantitas orbis terræ alia atque alia prodeat (proportione tamen Eccentricitatis viæ terræ ad ſemidiametrum ſemper eadem prodeunte, quæ admodum certa probatio erit.) At cum certum ſit, manere radium orbis terræ circa centrum viæ terræ, in eadẽ quantitate, ſuſcipiemus iam hunc in quantitate 100000. & proportionaliter conſtituemus Planetæ in tribus locis diſtantias. Ita tres Planetæ inæquales à Sole diſtantias habebimus. Quemadmodum ergo facillima ratione Geometres ex tribus punctis circulum deſcribit, ita Arithmeticus laborioſa via per octo (neſcio an ſedecim) operationes ſimplices, ex tribus radijs inæqualis longitudinis, ab vno puncto exeuntibus rimatur quantitatem ſemidiametri viæ Planetariꝗ in proportione qualium eſt ſemidiameter orbis terrꝗ 100000. ſimul & diſtantiam centri à puncto illo vno (quod eſt centrum Solis) rimatur, & inclinationem lineꝗ per vtrumque centrum traiectꝗ, ad radios dictos. Habita Eccentricitate viꝗ Terrꝗ & Planetꝗ ſimplici, Eccentricitas compoſita, ſeu ꝗquantis in terra ante nota eſt, in Planeta inquiritur ex angulis motus ſimplicis ad ſpacia temporum intermedia, cum iam inuenta Eccentricitate viꝗ comparatio. Quemadmodum & cognito loco Apogꝗi (ſeu Aphelij) Planetꝗ, cognoſcitur & longitudo ſimplex eiuſdem correcta ad quodlibet tẽpus.

Alterum problema difficillimè ſine ſchemate explicatur, ego vero iam & inſtrumentis careo. Verſatur in latitudinibus ἀκρονύχιοις.


Prꝗcognita hꝗc ſunt. Primo tres latitudines Planetꝗ accuratè obſeruatꝗ, cum eſt in vera oppoſitione cum Sole. Cum quibus innoteſcunt etiam loca longitudinis anguliquе, interiecti. Deinde opus eſt, vt ſciamus loca nodorum, ea vero ſymplici obſeruatione pateſcunt. Nam cum Planeta eſt in Ecliptica, nulla parallaxis (niſi ea, quam habet communem cum luminaribus) illum alibi facit apparere, quàm in Ecliptica. Quorſum verò cadat linea ex Sole per Planetam eiecta, ex mediocri & inartificiali æquationum & Aphelij præcognitione mediocriter etiam præſciri poteſt. Tertio opus nobis eſt ſcientia inclinationis maximæ plano[illegible], quam ſic inueſtigamus. Cum abeſt Planeta æqualiter à terra & à Sole, eadem eſt inclinatio eius, & latitudo viſa. At circa exortus veſpertinos [illegible] occultationes matutinas, potius circa quadraturas, cum angulus veræ commutationis Planetæ æquatur angulo vel diſtantiæ circulari Solis & Planetæ,

ſunt

ſunt etiam æquales rectilineæ diſtantiæ dictæ. Tunc ergo Planetæ latitudo obſeruetur & conſtituatur ex mediocri præcognitione Theoricę Planetæ, quo loco impingat linea ex Sole per Planetam iens, factaque comparatione viſæ latitudinis (quæ eſt etiam vera inclinatio) ad diſtantiam à Nodo in triangulo Sphærico inquiratur inclinatio maxima limitum. Tunc ergo ſcibitur inclinatio Planetæ ad quemcunque ſitum ἀκρονύχιον, videtur verò latitudo; Comparetur ergo viſa latitudo cum calculata inclinatione, & fingatur interea Planeta æqualiſſimè circa Solem ire, fiet hoc pacto, vt prodeant tres diſtantiæ terræ à Sole. Ex his tribus eliciatur quantitas orbis, Aphelium, & Eccentricitas viæ vt ſupra. Erit hoc pacto Eccentricitas Planetæ cum Eccentricitate terræ in communem eccentricitatem confuſa. Et vtriuſque Aphelium in idem Aphelium commune loco intermedio confuſum. Et mirabile dictu, in hac maioris circuli Eccentricitatis in minoris Eccentricitatem infuſione, quod prodit, circulus manet. Demonſtrationem neſcio quomodo fiat, vt animo videam, verbis eloqui nondum potuerim. Cogita ipſe. Mechanicè quoque certam fidem feci. Ex hac confuſione iam, adminiculante cognitione Apogæi Solis, extricanda eſt vtriuſque ſideris Eccentricitas viæ, quod totum negotium problematis aliquot explicui, ſed iam chartis meis deſtituor. Pulcherima eſt ſpeculatio: ſed latitudinum anguli parui, error obſeruationis valde ſenſibilis, itaque probationis loco eſt non inquiſitionis.

Quæ autem dixi de mediocri præcognitione Theoriæ Planetæ, ſic intelligantur, quod ſicut in Theoria Solis (vel Terræ) ita propemodum in omnibus Planetis, æquationes Eccentri ſciri poſſunt (ſolas namque has peto, vt præcognoſcantur) etſi veriſſima proportio partium Eccentricitatis ignoretur. Nam error ex vitioſa proportione hac prodiens in Sole quidem non eſt maior 1′. 10″. Cum eſt maximus in anom. grad. 135. Et hic quidem error tantus eſt, quando, quæ ex duabus partibus æqualibus compoſita eſt Eccentricitas, eam cum prioribus Aſtronomis, vt ſimplicem imaginamur. At ſi compoſitam & nos faciamus ex partibus genuinis, faciamus item ex partibus non genuinis æquationes vtrinque extructæ multò adhuc minus differunt: dummodo ſumma partium eadem vtrinque maneat: Adeò quidem vt in Marte, cuius eſt æquatio maxima, ſi à 92. vſque in 120. varietur Eccentricitas viæ (in ea dimenſione, vt eſt radius 1000.) æquationes non turbentur plus tribus minutis. Verum vt & hoc addam, ipſas æquationes Eccentri ſine præcognitione longitudinis mediæ, in hunc modum inueſtigo, problemate, quod neceſſitatem infert, & tamen neque per Geometricas demonſtrationes, neque per latius patentem coſſam explicari à me hactenus potuit. Laboraui tanquam per regulam falſi, idque in incertitudine non ſimplici ſed quadrata. An & hic me demonſtratione problematis iuuare poſſis.

Sint



Sint quatuor loca Planetæ obſeruata in ſitibus ἀκρονύχιοις veris cum vero loco Solis, quæ ſint D.E.F.G. & ſit A. centrum corporis ſolaris. B. centrum circuli illius in cuius circumferentia conſiſtunt quatuor illa puncta D. E. F. G. C. ſit centrum æquantis. Ad quatuor ergo tempora ſciuntur anguli circa C. inter bina & bina tempora explorata quantitate motus medij, quod fieri poteſt, etſi ignoretur præciſiſſima longitudo media ad mométū quodlibet. Sciuntur autem & anguli circa A Solem ex ipſis obſeruationibus. Aſſumatur verò A C. linea in numero ad operandum facili, vt ſi ſit 10000. Neſcitur iam proportio A C, ad A B, B C, neſcitur proportio A C vel A B. B C, ad A D, A E, A F, A G, vel ad B D ℞. vel ad C D ℞. Neſcitur proportio A D ℞ ad B D ℞ vel C D ℞. tantummodo ſcitur, quod BD, B E, B F, B G, ſint æquales. Pono itaque primo tanquam in regula falſi, inclinationem A C ad C D, C E, C F, C G, eſſe mihi notam; pono iterum eiuſdem C A inclinationem ad A D, A E, A F A G, mihi eſſe notam: ita illic ponitur longitudo media, hic Aphelium, tanquam cognita. Ex his poſitis, dantur in triangulis A D C, A E C, A F C, A G C, anguli cum latere A C, dantur ergo A D, A E, A F, A G. & cum ſciantur G A D, D A E, E A F, F A G. in his ergo triangulis ex binis lateribus & angulo comprehenſo, dantur G D, D E, E F, F G. cum angulis A D G, A D E, A E D, A E F, A F E, A F G, A G F, A G D. Item in F A D, datur F A, A D, & comprehenſus F A D, (componitur namque ex F A E, E A D) quare & F D datur, cum angulis A F D, A D F. Colligo ſummam E A F, A F G, ſic & E A D, D A G. vt ſciam quantitatem angulorum oppoſitorum E F G, E D G, qui ſi faciant ſummam 180. graduum, certum eſt puncta D, E, F, G, per aſſumptas duas poſitiones manere in circulo. Sin excedit vel

deficit

deficit ſumma oppoſitorum ſemicirculum, reditur ad caput, vt in regula falſi, & retenta poſitione prima inclinationis A C ad C D, C E, C F, C G variatur poſitio inclinationis C A, ad A D, A E, A F, A G. Tunc ex exceſſu vel defectu vtroque peruenitur ad cognitionem eius Aphelij, vel inclinationis C A ad A D ℞, quæ quatuor puncta in circulum cogit. Quo facto iam etiam probandum eſt, an & prima poſitio longitudinis mediæ rectè habeat, in hunc modum. Cum ſciatur A D G, & A D F, ſcietur & F D G, cumque ſint iam quatuor puncta in circulo, erit F B G. duplus ad F D G. Iam ergo datur Iſoſceles F B G cognita baſi & angulis, facile ergo cognoſcitur τὸ σκέλος F B, vel B G. Prius autem ſciebatur A F G, iam ſcitur B F G. ſcitur ergo & B F A. In hoc ergo triangulo, cum antea ſciretur A F, iam F B cum comprehenſo, ſcietur & B A Eccentricitas viæ & B A F inclinatio B A ad A F, quæ ſi eadem eſt, quæ C A ad A F, erunt ergo B A & C A coincidentes, & prima longitudinis mediæ poſitio rectè habet. Sin diſcrepant, tota operatio à prima origine, quanta quanta eſt, repeti debet, variata etiam prima poſitione, & ad illam per proceſſum Falſi, certificata ſecunda: poſtea per eundem Falſi proceſſum comparata vtraque primæ poſitionis variatione, ad eliciendam veram poſitionem. Summa itaque hæc eſt, quando D. E. F. G. ſunt in circulo, rectè habet Aphelium. Quando vero B centrum eius circuli eſt in linea A C loco intermedio, recte hàbet & longitudo media. Cum autem iam habeatur proportio linearum ad A C, quam ſuſcepimus eſſe 10000. facile eam in alios numeros tranſponemus, vt B F ſit 100000. Quod ſi ergo quatuor obſeruationes in parte ſcrupuli rectè haberent, eſſemus vel ſic certi de propoſitione F D ad B A, nec opus eſſet tanto apparatu, quantum ſupra deſcripſi. Sed quia intra tria ſcrupula certi non ſumus de obſeruatione, præſertim quando deductione opus eſt à die proximo, quando ſerenitas obſeruationes admittit, ad diem veræ cum Sole oppoſitionis; ideò in incerto relinquimur, vt ſupra dictum, in Marte quidem à 9200. in 12000. & vlterius: quæ incertitudo in parallaxibus orbis annui intolerabilis eſt. Aequationes tamen hac via prope verum addiſcimus.

Hactenus expoſui, quibus in rebus à te, Magine ſollertiſſime adiuuari poſſint inuentiones hæ, circa Theorias Planetarum Copernicanas. Nunc alterum caput de difficultate calculi aggrediar, conſilium tuum expetiturus, quomodo cenſeas conſtituendas tabulas, quam formam calculi amplectendam. Copernicus vti potuit Anomalia commutationis, quia centrum, circa quod numeratur Anomalia, putauit eſſe centrum viæ terræ. Quid iam nobis proderit Canon Anomaliæ commutationis, cum bis æquanda ſit, nempe per totiuſque Aequationis & Planetæ, & Terræ partem eam, quæ conſtituitur ab Eccentricitate viæ. Oportet enim angulum Anomaliæ ad nullum aliud punctum ſtare, quam ad centrum

R Solis.

Solis. Nulla hic æquipollentia hypotheſium nos iuuat. Dimidio gradu in Marte erramus, primum atque centrum Solis deſeruerimus. At ſi ſtet angulus hic ad Solem, ſemper eſt alia atque alia diſtantia Solis & Terræ quare etiam alia, atque alia parallaxis annua, etiamſi Planeta habeat vnam & eandem Anomaliam Eccentri. Nam Aphelia in tabulis perpetuis oportet conſiderare, vt diſtantiam mutuam variantia ſucceſſu ſæculorum. Ac etſi ſemper eadem maneat Apheliorum diſtantia, tamen parallaxes erunt condendæ non ad quadrantem, non ad ſemicirculum, ſed ad integrum circulum: vbi ſi accedant etiam ſcrupula proportionalia, vt neceſſe eſſet, neſcio an euitaturi ſimus omnem errorem. His omnibus accedit implexio mutua parallaxeon annui orbis in longum & latum, qui ſcrupulus me diutiſſimè torſit, cæca moleſtia. Nam cum propè oppoſitiones Planetæ cum Sole venitur, hæc implexio non parui eſt momenti: ſemperque me impediuit, quo minus iuſtam ſiderum à Sole diſtantiam inueſtigare potuerim. Hic ſi etiam Canone vti velimus, æquandi propter latitudinem, angulum commutationis, neſcio an difficilior & tædioſior ſit futurus calculus tabularum, quàm calculus triangulorum. In hac ergo difficultate de forma calculi ea cogito, quæ eſt naturæ conformis; quam quia ſine tua ope vix potero adipiſci, itidem exponam. Colligetur ex tabulis Planetæ ſimplex longitudo, & Aphælium, & ſubtracto hoc ab illa, per Anomaliam Eccentri relictam excerpetur æquatio Eccentri, qua corrigetur longitudo, vt fiat Eccentri longitudo æquata, excerpetur & diſtantia Planetæ à Sole per eandem ſimplicem Anomaliam, ſeruanda in futurum vſum. Hic labor erit in inferioribus planè idem. Nam Eccentrus eorum is dicetur circulus, quem in rei veritate deſcribunt circa Solem. Quod ſi carerent Planetæ parallaxi annua iam iuuenta eſſent omnium Planetarum, ipſiusque Terræ loca in ſuis orbitis. Ergo pro quinque Planetarum parallaxibus annui orbis iam ſecundo ad eundem modum quæretur & locus Terræ (vel Solis oppoſitus) cum diſtantia Solis & Terræ ſeruanda. Tertio locus orbitæ Planetæ comparabitur cum proximo Planetæ nodo (nodi motu ſimplici etiam ex tabulis collecto) & per diſtantiam à nodo & maximam limitis inclinationem, quæretur ex parte Canonis rectanguli ſphærici, cuius latus à grad. o. ad 90. gradus per ſingulos gradus, frons a grad. o. min. o. ad grad. 10. min. o. per ſingula minuta procedit excerpetur inquam ex hoc Canone, per diſtantiam modo, ceu baſim rectanguli ſphærici, & per angulum inclinationis maximæ in area quærendum iuxta baſim, in latere ſiniſtro arcus Eclipticæ reſpondens arcui orbitæ, in fronte inclinatio eius loci quem obtinet Planeta.

Latus minus à grad. o. o'. vſque ad grad. 10. o'.

Latus maius à gr. o. vſque ad gr. 90.

Baſis, & angulus lateri minori oppoſitus.

Quarto locus Eclipticæ inuentus comparabitur cum loco oppoſito Solis vero. Differentia erit angulus Anomaliæ commutationis, qui quàmuis re ipſa per vtramque æquationem ſit correctus, ſimplex tamen adhuc nobis dicetur, cum etiam num æquandus ſit, maximè circa oppoſitiones cum Sole. Hic angulus ſimplex quæretur in latere Canonis rectanguli ſphærici, inclinatio vero loci Planetæ in Eccentrico quæretur in fronte, & per hæc duo excerpetur ſub titulo Baſeos in area angulus commutationis æquatus; ſub titulo verò anguli oppoſiti minori lateri, excerpetur angulus vſque ad finem calculi ſeruandus.



Quinto tabulis nullis iuuari poterimus, quin per vtramque & Planetæ & Terræ à Sole diſtantiam, & angulum Anomaliæ commutationis

æquatum inter dicta duo latera comprehenſum per duas multiplicationes quæramus angulum commutationis ſeu parallaxeos compoſitæ ſeu confuſæ. Sexto hæc parallaxis & prius ſeruatus angulus in area Canonis rectanguli iuxta ſe mutuo quæſita oſtendent in latere arcum elongationis Planetæ in Ecliptica à Solis loco oppoſito, in fronte verò latitudinem Planetæ. Hic ſpeciales cautiunculas non addo, quæ ex deſcriptis ſchematibus ſunt faciles animaduerſu. Hoc tamen moneo, praxim hanc omnibus quandoque fore communem, dummodo ſic habeat Theoria Mercurij, vti ſupra ſum ſuſpicatus. Hic qua in re rem iuuare poſſis exponam. Cum non ſit cuiuslibet condere tabulas, propter ingens laboris tædium, & molem ſtudiorum, tu vero excellas, & abundes compendijs vt qui maximè; Canonis huius partem Planetis neceſſariam tibi condendam relinquo; nam ita quidem perſuaſus ſum, quicquid D. Tycho ſit editurus fore, vt hæc Copernicana hypotheſis, propter intellectionis facilitatem iuxta manſura ſit, quam quidem in tabulas redigere, dum vixero, non deſiſtam: tu verò iampridem obtuliſti tuam D. Tychoni operam, in condendis tabulis. Ac ſanè ſi ex reſtitutione Lunari, quam apud Tychonem vidi, de Planetis cæteris iudicandum eſt, non nullius vſus erit etiam apud Tychonem hæc pars Canonis. Nam quas habet Luna inæqualitates extra coniunctiones & oppoſitiones, omnes Tycho à vera coniunctione & oppoſitione regulares facit. Vt iam non dicam de ingenti vſu Canonis rectanguli ſphærici in omni doctrina triangulorum ſphæricorum: ſi frons reliqua à grad. 10. per gradus ſingulos ad 90. continuetur. Puto autem à grad. 0. ad 10. grad. per ſcrupula ſingula eundum, etſi magnus ſanè labor eſt futurus, ne gemina ſeu cruciformi proportionalis partis indagatione opus habeamus. Sufficit autem ſcrupulorum ad grad. 10. extenſio, quia nulla neque inclinatio neque latitudo hanc quantitatem excedit. Forma libri conſideranda eſt, quænam ſit vſui accommodatiſſima. Placeret longa, quæ omnes nonaginta verſus in longitudine caperet, in latitudine vero quinque columnas areales. Ita ſinguli gradus frontales ſenis folijs expedirentur, eſſetque ſumma foliorum ſexaginta, poſſentque pinnacidijs ſeu anſulis folia diſtingui, quibus nouus in fronte gradus oreretur. Qui iam eundem laborem nouies ſumeret, condito libro foliorum 540. is in ſolidum eijceret ſinus, tangentes, & ſecantes è doctrina ſphæricorum triangulorum.

Prolixus admodum fui. Ceſſabo igitur. Vbi hæc tibi grata fuiſſe intellexero, plura mouebo. Tu verò Magine celeberrime hæc eo animo ſuſcipe, quo ego ſcripſi. Sum artis Aſtronomicæ cupidiſſimus, & temperare mihi non poſſum, quin cum artificibus conſilia mea communicem, vt illorum admonitionibus ſubinde in hac diuina arte proficiam. Peto maiorem in modum, vti quàm primum reſcribas. Nec eſt neceſſe, vt ex abrupto ad ſingula reſpondeas: Saltem indicationem facito, vbi

has

has receperis. In Styria quidem non cogito vltra tres ad ſummum hebdomadas manere. Itaque præſtiterit, vt quæ reſponſurus es, Pragam Bohemorum mitteres, ad Illuſtriſſimum Dominum Coraducium, Vicecancellarium Imperij, quem & has artes amare ſcio, & me amare perſuaſus ſum. Si tamen aliqua te incommoditas impedit (quamquam ecce, quid te impedit ad D. Tychonem ſcribere, cuius literis, ſi quid ad me pertinens adiunxeris, id me ſemper, vti ſpero, apud D. Tychonem reperiet) ſi tamen aliqua te incommoditas Pragam ſcribere prohibet, mitte Græcium in Styriam ad Nuncium Apoſtolicum, is ſi Abbati Admontenſi commendauerit epiſtolas, facilè mihi reddentur.

Dum concludere volo, incidit, quod penè primo loco ſcribere volui. Theoria Lunæ multum Tychoni difficultatis mouet. Mihi videtur auſpicanda à parallaxibus, quæ contingunt ob ſenſibilem diſtantiam centri & ſuperficiei globi terreni. At parallaxium doctrina latitudinibus Lunæ confuſa eſt. Opus igitur eſſet præcognitione latitudinum. Vtrumque ab vtroque pendet. Cogitaui igitur quomodo parallaxis ſine cognitione latitudinis obſeruando inueſtigari poſſet. Modi duo inciderunt. Alter ſi eodem die Luna ſemel alta, ſemel humilior extra tamen terminum refractionum obſeruaretur, quando eſt circa limites, vbi intra duas horas parum mutatur latitudo. Expedit autem id etiam in principio Cancri fieri, vbi parum etiam mutatur declinatio. Verum, quando Luna eodem die poſt meridianam altitudinem fit ſenſibiliter humilior, acquirit parallaxim in longitudinem, præcognoſcendam, cum ea inquiratur. Alter modus, vt diſtinctis temporibus obſeruetur Luna, cum eſt in gradu nonageſimo, in limite eodem, in eadem remotione à Sole, ſemel altior ſemel humilior. At hæ tres conditiones raro concurrunt. Adde quod ſingulis ſcrupulis in hac altitudinis obſeruatione committitur error vnius ſemidiametri terræ, quarum in Eccentricitate viæ Lunæ paucæ continentur. Itaque tertiò huc confugio, vt te orem, obſerues Lunam quoties potes in nonageſimo gradu, & obſeruationes, vna cum exactiſſima Bononienſis Poli altitudine, nobiſcū in Germania communices. Curabo ego, vt noſtras obſeruationes tu viciſſim habeas. Ita fiet, vt Luna interdum ſimul vtroque in loco obſeruetur, ſicque eius in varijs Anomaliæ locis altitudines innoteſcant. Nam Bohemia, & Italiæ bona pars in eodem Meridiano ſunt. Vale præſtantiſſime vir, meque tibi commendatum habe.

Græcij Styriæ Kalendis Iunij anno Chriſti 1601.

Excell. T.

Officioſiſſimus

Io. Keplerus Mathematicus.

CLARISSIMO, ET EXCELL. VIRO DOMINO IOAN. KEPLERO Mathematico Cæſareo.

Doctiſſime, ac Præſtantiſſime Vir.

VIDI nuper inſigne tuum opus de motu Martis à quodam Librario noſtro Bononienſi huc pro nobili viro Venetia allatum, & mutuo quidem mihi ad vnicam diem conceſſum percurri breuiter quantum per anguſtiam temporis mihi conceſſum fuit. Inter cætera offendi caput 31. poſitum pag. 164. in quo proponis per biſectionem Eccentricitatis Solis non turbari ſenſibiliter æquationes Solis à Tychone expoſitas, quod ſanè cum auidè percurriſſem inueniſſemque tuam rationem à Ptolemæi, & Tychonis fundamentis tam in ſimplici Solis Eccentricitate, quam in duplicata valdè differre, neque vllo pacto conuenire poſſe cum tabula ad ſimplicem Solis Eccentricitatem à Tychone in progymnaſmatum tomo allata, neque cum mea, quam recenter ſecundum hypotheſim æquantis ſupputaui ad Eccentricitatem par. 1792. Cognoui tandem te malè angulum Anomaliæ Solis ad mundi centrum accepiſſe, cum verius ad Eccentrici centrum in ſimplici Solis Theoria, vel ad æquantis centrum in biſecata Eccentricitate ſit accipiendum, vt ex hac adiecta ſupputatione clarius veritatem percipies. Sed mirum minimè eſt, homines tam eximia eruditione præſtantes & grauiſſimis ac difficillimis ſpeculationibus diſtrictos, interdum à vero tramite deflectere. Ignoſcas igitur & in bonam partem hæc accipias quæſo, & qua decet animi beneuolentia; quia veri & ſinceri amici munus gero. Haud illibenter enim fateor, quod etiam mihi ſoleat idem interdum accidere, quia enim homines ſumus, facilè errare poſſumus. Me enim & tibi & tuis amicum quandiù ſpiritus meos reget artus ex aſſe verum & ſincerum eſſe perpetuo futurum & manſurum planè ac planè confidas. Sed quamprimum ipſum opus tuum mihi allatum fuerit (expecto enim illud auidè ab amico) à capite ad calcem totum ſumma cum diligentia & aſſiduitate percurram. Coſmographicum myſterium D. V. longo temporis

poris


poris ſpatio interiecto à me ſumma cum diligentia quæſitum nunquam conſequi potui, niſi paucis ab hinc menſibus idque à nobili Germano, qui ad nos Bononiam venit, eundemque librum ſecum attulit, pro quo munere illi primum Mobile meum gratitudinis ergo obtuli. Et quia in itinere duo priora folia cum titulo & dedicatione corroſa ſunt, rogo V. D. vt eadem ad me mittat ſimul cum tabulis magnis, quæ in eodem deſiderantur (nulla enim alia extat quam tertia tabula orbium Planetarum dimenſionem & diſtantias exhibens) hoc enim erit mihi quam gratiſſimum pro quo certè mea officia promptiſſima & paratiſſima prolixè quouis tempore defero ac polliceor. His benè & feliciter vale, & de Aſtronomia perficienda benè mereri ne deſine.

Bononiæ die 15. Ianuarij 1610.

Excellentiæ Tuæ

Studioſiſſimus

Io. Antonius Maginus Patauinus.



Primus modus computandi æquationes Solis erroneus eſt, dum ex integra Eccentricitate 3600. quã in linea A F intelligis eſſe A C colligere vis angulum æquationis ad Anomaliam grad. 45. & 135. grad. nam deciperis in aſſumptione Anomaliæ gr. 45. penes angulum F A E, qui cum ſit ad centrum mundi ignotus eſt, & eſt reuera angulus F C E Anomaliæ, quem reſpicit arcus F E, & ſic quoque deciperis in angulo Anomaliæ F A E grad. 135. nam angulus Anomaliæ grad. 135. eſt F C D, ad quem refertur circumferentia F D. Quare cum in triangulo obliquangulo A E C tu præſupponis angulum C A E notum cum latere C E, qui eſt ad inſtar ſinus totius, & cum latere A C 3600. benè quidem colligis angulum A E C grad. 1. 27′. 31″. procedit enim Analogia illa, vt ſinus totus C E ad anguli C A E ſinum, ſic C A Eccentricitas ad ſinum anguli C E A æquationis. Sed tali pacto neque Ptolemæus, neque Copernicus, aut Braheus computauit æquationes Solis, vt videre eſt apud Tychonem pag. 29. qui aſſumit triangulum A C E notorum laterum C E 100000. A C 3584. vel vt tu 3600. cum angulo ab ipſis comprehenſo noto A C E, tamquam complemento ad ſemicirculum adiacentis anguli Anomaliæ F C E. Vnde adinuenitur angulus quæſitus A E C pro Anomalia grad. 45. ſic

Latus E C	100000
Latus A C	3600
Aggregatum	103600
Differentia	96400

Anomalia gr. 45.
Dimidium gr. 22. 30. Tangens 41421.

Vt aggregatum laterum. 103600.	Ad eorundem differentiam 96400.

ideſt vt maxima Solis diſtantia à terra ad minimam,

Ita tangens dimidij anguli Anomaliæ 41421	Ad tangentem anguli differentiæ à dimidio 38542

Tangenti 38542. debetur arcus grad. 21. 4′. 40″. qui ſublatus à dimidia Anomalia grad. 22. 30. relinquit quæſitum angulum æquationis A E C grad. 1. 25′. 20″. qui tamen ſuperat æquationem à Tychone poſitam in 24. ſecundis: nam Tycho habet grad. 1. 24′. 56″. Sed ſi accipiatur

piatur Eccentricitas, qua præciſè fuit vſus Tycho, nempe 3584. vt ipſe facit pagina 30. colligitur eadem cum Tychone æquatio, vt hic patet.

Latus E C	100000	Anomalia gr. 45.
Latus A C	3584	Dimidium gr. 22. 30. Tangens 41421.
Aggregatum	103584	
Differentia	96416	

Vt aggregatum laterum 103584.	Ad differentiam eorundem 96416.
Ita tangens 41421	Ad tangentem 38556

Tangenti 38556. competit angulus grad. 21. 5′. 4″. qui ſublatus ab angulo grad. 22. 30′. relinquit æquationem iam dictam grad. 1. 24′. 56″. vt habet Tycho.

Accedamus nunc ad ſecundum modum computandi æquationes, quo Ptol. eſt vſus in Planetis cæteris, qui habet locum in Theoria Solis, cui ineſt æquans circulus. Tu igitur retento priore angulo falſo C A E, confugis primo ad triangulum B E A, in quo ex noto latere B E ſinu toto, & latere A B 1800. eadem methodo, qua ſupra vſus fuiſti, colligis angulum B E A grad. 0. 43′. 46″. ſed non eſt ille angulus C A E notus, cum vt diximus ſuperius, notus ſit angulus B C E in altero triangulo B C E tamquam complementum ad ſemicirculum Anomaliæ: benè tamen procedit methodus tua illa ad colligendum angulum B E C grad. 0. 43′. 46″. aſſumpto triangulo B C E vice trianguli A B E. nam vt ſinus totus B E ad ſinum anguli A C E ſeu B C E 70711. ita B C 1800. ad ſinum anguli B E C 1273. Vnde angulus ille eſt grad. 0. 43′. 46″. ſed ſi acceperimus Eccentricitatem 1792. erit angulus ille grad. 0. 43′. 34″. poſtrema etiam pars calculi tui falſa eſt, dum ex duobus lateribus E B, B C cum angulo comprehenſo quæris angulum B E C. Nam vice verſa ſecundum rectum calculum venandus eſt angulus A E B tali methodo.

Quoniam in triangulo B C E dabatur angulus B C E grad. 135. & inuentus fuit angulus B E C grad. 0. 43′. 46″. ex tua Eccentricitate 1800. vel grad. 0. 43′. 34″. ex præciſiore Eccentricitate 1792. habebitur tertius angulus E B C. grad. 44. 16′. 14″. qui eſt externus trianguli A B E ſecundum tuam Eccentricitatem 1800. ſed ſecundum præciſiorem Eccentricitatem erit ille angulus grad. 44. 16′. 26″. Iam igitur datis duobus lateribus A B, B E cum angulo comprehenſo indagabitur angulus A E B ſecundum methodum, qua vſi fuimus in priore modo.

S Latus

Latus B E 100000 Angulus externus C B E grad.44. 16'.14".
Latus A B 1800 Dimidium eſt,grad.22.8.7.cuius tangens 40677.

Aggregatum 101800
Differentia 98200

Vt aggregatum laterum 101800	Ad differentiam eorundem 98200
Ita tangens 40677	Ad tangentem 39238

Huic tangenti congruit angulus grad.21.25'.27".qui ſublatus à dimidio angulo grad.22.8'.7".relinquit angulum A E B grad.0.42'. 40". qui ſi addatur angulo B E C, quem prius inuenimus grad.0.43'.46". prodibit totus angulus æquationis A E C grad. 1. 26'. 26". differens à priore modo m. 1'. 6".

Sic quoq; expediendo calculum cum præcioſiore Eccentricitate 1792. reſultabit angulus ille grad.1. 26'. 2". vt hic.

Latus B E 100000 Angulus externus C B E grad. 44. 16'. 26".
Latus A B 1792 Dimidium grad.22. 8.13.cuius tangens 40681.

Aggregatum 101792
Differentia 98208

Vt maxima diſtantia ☼ à terra,ideſt Vt aggregatum 101792	Ad minimam ideſt Ad differentiam 98208
Ita tangens 40681	Ad tangentem 39248

Tangenti 39248. congruit angulus grad.21. 25'. 45". qui detractus à dimidio angulo grad.22.8'.13". relinquit angulum grad.0. 42'.28".eſtque angulus A E B,ſed prior angulus B E C fuit grad.0.43'.34". Quare aggregatum amborum erit angulus A E C æquationis gr.1. 26'. 2". ſicut repoſui in mea recenti tabula differtque ab angulo Tychonicæ Tabulæ m. 1.6". Quare in Progymnaſmatum Tychonis Appendice pag.821.vbi calculi vtriuſque differentia prodit 1'.$\frac{1}{6}$ debet legi 1'. 6". & non vt tu ais 0'$\frac{1}{6}$ nã veriſimilius eſt, Tychonẽ ſcripſiſſe 6".& fuiſſe malè trãſcriptũ $\frac{1}{6}$.

Clariſs. & Excell. Viro D. Ioan. Antonio Magino Mathematico Bononienſis Gymnaſij.

CLARISSIME, & præſtantiſſime D. Magine, quas ad me dediſti Bononia die 15. Ianuarij accepi primo Feb. & αὖθις reſpondeo. Gratiam iniuiſti non paruam, quod ſignificaſti, tibi meum opus de Marte curæ eſſe. Obſecro propter noſtra ſtudia, vt eadem lima totum percurras. In id enim eſt editum, vt ſicubi erro, tui ſimilium cenſuris in hoc veluti fundamento ſubleuer, vt quam correctiſſimum ſuperſtruam Aſtronomiæ opificium: primum atque mihi à ſummis difficultatibus aulicæ vitæ affulſerit tranquilla ſerenitas. Quod rem præſentem attinet, decepit te ambiguitas meæ dictionis; quam diſcutiet lectio totius libri. Atque hoc primo modo. Primus modus hic denominatur non à methodi forma, ſed a forma Eccentricitatis, quæ hic aſſumitur ſimplex. Nam methodum adhibeo ſanè aliam & compendioſiorem pro hoc inſtituto (id facio paſſim in opere) Re ipſa conuenimus Tycho, & ego. Nam aſſume Anom. med. grad. 46. 27′. 31″. inuenies coæquatam methodo Tychonis grad. 45. 0′. 0″. Deinde quære Anom. med. grad. 45. 0′ 0″. in tabula, qua Anomalia tu vteris in ſecundo meo modo, qui eſt biſectæ Eccentricitatis, vbi extruis æq. grad. 1. 26′. 2″. inuenies ex tabula mea eundem. Ecce grad. 44. 42′. 59″. dat gr. 43. 17′. 1″. æq. gr. 1. 25′. 58″.
45. 43. 45. dat gr. 44. 16. 15. æq. gr. 1. 27. 30.

Proportionaliter igitur grad. 45. 0′. 0″. dat grad. 1. 26′ 28″. ſed hoc in tabula mea, quæ habet modum tertium. Tu verò in modo ſecundo conſtitue Anomaliam coæquatam grad. 45. 33′. 58″. (ſubſtracta æquatione grad. 1. 26′. 2″. à te inuenta) & vtere mea methodo, inuenies medium grad. 45. 0′. 0″. quam & aſſumpſiſti. Appendicis ad Progymnaſmata ipſe author ſum. Sed fieri potuit, vt in illius computo ego tunc fuerim hallucinatus, ita computans, vt tu nunc; hoc eſt comparans æquationem, quam Mihi dat coæquata grad. 45. 0′. 0″. cum æquatione, quam PTOLEMAEO dat, ſimplex, ſeu media Anomalia grad. 45. 0′. 0″.

Par erat, vt Cæſar mihi mandaret, gratis donare exemplaria Mathematicis. At coactus ſum vendere Typographo, ſine exceptione. pro tribus tamen Florenis hic Pragæ habere poſſum vnum.

Mitto defectus Myſterij petitos, paratus totum mittere; ſed quia habes reliqua; poſtæ parcendum duxi. Vale vir celeberrime, & perge cenſendo mihi prodeſſe. Pragæ vt ſupra anno 1610.

T. Excell. Amicus

Io. Keplerus S. C. M. Mathematicus.

Clariſs. & Excellentiſs. Viro D. Ioanni Keplero Mathematico Cæſareo.

Clariſsime, & Excellentiſsime Vir.

VIDI ex tua reſponſione, te non temere ſed ſtudioſè, & tuo quodam conſilio ſupputaſſe æquationes Solis initio facto ab angulo Anomaliæ veræ ignoto, non autem, vt fieri ordinariè conſueuit, ab angulo Anomaliæ mediæ, quem tabulæ Aſtronomiæ promptè exhibent. Quam ſanè tuam rationem quid commodi poſſit afferre, cum ex ipſa prodeant numeri introituales fractionibus moleſtis implicati ignoro. Sicut videre eſt etiam in tabula tua diſtantiarum Solis à Terra, quæ cum nec Anomaliam mediam, nec veram ad gradus integros, habeat, moleſta eſt pro ingreſſibus. Non video autem, quomodo ex hac tua ſuppùtationis forma æquationes Solis ex biſecta Eccentricitate prodeant in iiſdem numeris à te poſitis. Eſto igitur, vt tu ais, Anomalia vera penes angulum E A B grad. 45. ex qua rectè colligis angulum B E A grad. 0. 43′. 46″. hic additus ad E A B angulum Anomaliæ veræ conſtituit angulum E B C grad. 45. 43′. 38″. Complementum huius ad ſemicirculum eſt grad. 134. 16′. 14″. eſtque tantus angulus externus E B A trianguli E B C. huius dimidij grad. 67. 8′. 7″. tangens eſt 237140.

Vt aggregatum laterum.	Ad eorundem differentiam.
101800	98200
Ita tangens dimidij anguli externi.	Ad tangentem differentiæ.
237140	228754

Tangenti huic congruit angulus grad. 66. 25′. 15″. qui reiectus à dimidio angulo ſuperiore grad. 67. 8′. 7″. relinquit angulum æquationis grad. 0. 44′. 52″. qui additus angulo B E A prius inuento 0. 43′. 46″. manifeſtat integrum angulum C E A grad. 1. 28′. 38″. & non vt tu ponis grad. 1. 27′. 24″. Quare differt hic modo inuentus angulus ab illo ſecundum ſimplicem Eccentricitatem vno minuto & 7″. Pariter quoque in Anomalia gr. 135. addatur angulus B D A grad. 0. 43′. 46″. angulo Anomaliæ D A B grad. 135. prodit D B C grad. 135. 43′. 46″. cuius complementum eſt gr. 44. 16′. 14″. & dimidium 22. 8′. 7″. cuius tangens 40677.

Vt

Vt igitur	Ad	Ita tangens	Ad tangentem
1018	982	40677	39238

Cui tangenti competit angulus grad. 21. 25'. 27". qui ſublatus à dimidio angulo 22. 8'. 7". relinquit o. 42'. 40". pro angulo B D C. Quare totus C D A eſt grad. 1. 26'. 26". & non vt tu ponis, grad. 1. 27'. 28". Differtque ab angulo ſimplicis Eccentricitatis m. 1'. 5". Ex tua tabula diſtantiarum Solis à terra colligitur cum Anomalia æquata grad. 45. æquatio Solis grad. 1. 28'. 38". & cum Anomalia grad. 135. æquatio Solis gr. 1. 26'. 20". Ex his autem patet non eſſe æquales æquationis partes, nempe Optica & Phyſica, vnde in conſtructione tabulæ ex duplicatione Proſtaphæreſis non obtinebitur exactiſſima æquatio. Hæc libenter diſcutere volui Origani cauſa, qui cum ſupputaſſet motum Solis in ſuis recentiſſimis Ephemeridibus ex tabula Tychonica, redargui videtur errorculi ob æquationum varietatem, quæ prouenit ex biſecta Eccentricitate, qui error in Luna etiam locum habet. Nollem vero, ipſum Origanum pro ſui defenſione confugere ad tuum caput 31. Imo potius cuperem, te illud caput correcturum libenter quamuis lapſus ſit exigui momenti. Sum & ego editurus Ephemerides luminarium ex Tychonico calculo per plures annos, & correxi quidem luminarium diametros ex Appendice ad Progymnaſmata, vt exactius Eclipſes ſupputari poſſent, & non ſicut fecit Origanus. Tabulæ motus Martis magnam afferent lucem lectioni huius præſtantiſſimi operis de motu Martis, quas tentabo meo Marte colligere, vt experiri valeam, an poſſit aliquod compendium vltrò excogitari pro computatione motuum. Et ſi tu ſaltem mihi communicabis æquationes centri & diſtantias ♂ à ☼ gratiſſimum mihi facies, neque vnquam illas cuiquam communicaturus ſum, quod ſanctè tibi promitto. Gratias quas poſſum maximas pro folijs ad redintegrationem myſterij Coſmographici mihi à te miſſis tibi refero. Has manu propria ob aduerſam valetudinem qua 15. plus diebus detineor exarare minime potui. Tu vir Excell. vale optime. Bonon. 23. Feb. ſtilo nouo, anno 1610.

Excellentiæ Tuæ

Studioſiſſimus

Io. Antonius Maginus.

Clariſs. & Excell. Viro D. Ioan. Antonio Magino Mathematico Bononienſis Gymnaſij.

EX morbo te conualuiſſe gaudeo. Vix tandem tua opera diſcuſſi hanc nebulam. Video iam cauſam nullam fuiſſe, cur meos numeros in Appendice Progym. fol. 821. inſertos poſterioribus curis in Martis fol. 164. corrigeré. Mirum fatum, cum toties operationem repetierim, (quippe graue mihi videbatur erratum in Progymn. fateri) adeò conſtante me ratione aberraſſe. Interdum igitur δευτέραι φροντίδες ἀτυχεῖς, καὶ ἀνόητοι.

In felicitatis parte eſt, quod ei paruus eſt error, & nihil illi ſuperſtructum, ita vt exemptus ex libro ruinam trahat nullam. Nam quod tu infers, Non eſſe æquales partes æquationis, Opticam & Phyſicam, id quidem verum eſt, neque dixeram planè æquales; quod verò addis, In conſtructione tabulæ ex duplicatione Proſtaphæreſis non obtineri exactiſſimè æquationem; id tantum abeſt, vt verum dicas, vt potius per hanc tuam correctionem contrarium probes. Nonne enim tu ipſe in his literis ex mea tabula, ad coæquatam grad. 45. dicis, æquationem grad. 1. 28′. 38″? Ad gr. 135. gr. 1. 26′. 26″. At quid tua correctio? Nempè grad. 1. 28′. 38″. & grad. 1. 26′. 26″. Miraberis quæ hæ præſtigiæ? Sed cogita, quod in duplicatione tabulari, partes æquationis connectantur ad gradus integros Anomaliæ non mediæ, non coæquatæ, ſed Eccentri. Non mirum igitur, ſi quanto minor eſt Optica An. Ecc. 45. quàm Optica An. Co. 45. tanto etiam minor ſit pars Phyſica, quam ſumitur per duplicationem Opticæ. Cogita an hæc mihi origo errandi, qui aliam fortè methodum computando ſum ſecutus, aliam poſtea in Commentarijs perſcripſi, numeris ex illa mutuatis. Nam nunc non vacat quærere.

Vt errorculus hic propaletur nihil reformido; tantum vt qui id facturus eſt, totum librum legat. Origanus enim aut quicumque alius, ſi abuſurus eſt hoc meo ſphalmate, non impune feret, ſi vixero. Nam vt nolo meis erroribus præiudicare veritati, ita ne alijs quidem concedam ſilentium tenens. In computandis Eclipſibus non ſolæ luminarium diametri, ſed & alia multa corrigenda ſunt, & à me correcta ſunt in Hipparcho meo, licet nondum abſoluto, vt edi poſſit.

Tabulas Martis habeo abſolutiſſimas, eſt mihi & compendium computandi præſto; vt vnicus aliquis locus Martis, tàm in longum quàm in latum, multo breuiori methodo computetur, quam ex Prutenicis, multi verò ſimul facilima ratione computantur. Niſi tantum circa punctum oppoſitionis cum Sole, ibi correctiunculis eſt opus.

Sed

Sed & in Saturno & Ioue tabulæ ſunt perfectæ, in Venere & Mercurio dimidium earum.

Cogito ante editionem Tabularum Rudolphi ſcribere Ephemerides, ad annos 80. initio ab anno 1583. facto propter obſeruationes Tychonis & meas Meteorologicas, quas addam.

Initium iam in Marte eſt factum. Si durare & ferre tædium poſſem, horis 6. vel 7. continuis, ſcribere poſſum vnius anni Ephemerida motuum Martis.

Hæc eo commemoro, vt te admoneam, tibi tuoque hypographo caueas à damno, quod videris incurſurus, ſi extantibus iam Origani Ephemeridibus, tum inſuper edas eadem, meis fortaſſe breui ſequentibus.

Origani conſilium nunquam probaui, & admonui illum diligenter ante multos annos, remiſceret luminaria Tychonica Planetis Prutenicis. Et per ſe liber & Typus informes ſunt; multi expectatione Ephemeridum perfectarum quas promitto, non emunt interim Origani, eo fit, vt vili precio putem vendendas magis atque magis. Nam & in Gallijs aiunt eas recudi, vt exempla in Hiſpanias & Indias vehantur.

Petis tibi communicem tabulas Martis.

Ego quidem, mi Magine paratus ſum, non illas tantum, ſed & omnes reliquas communicare ſucceſſiuè. Si fieri poſſet, vt inter nos ſolida & fida & tuta ſocietate magiſtratuum authoritate ſtabilita, Ephemerides communi nomine, meo tamen arbitrio ederemus, & ſumptus ipſi in commune faceremus, exemplaribus ad hæredes tranſmiſſis; quorum illud vendibiles faceret libros propter vtriuſque famam, hoc ad rem augendam faceret. At vt tibi de me ſecuritatem præſtare poſſim, neſcio qui tu mihi de te tuiſque hæredibus poſſis, niſi in Germaniam aduenias, ibique tempus aliquod teras. Operarum partitio hæc eſſet; vt quia ego decennio toto hæſi in eruendis fundamentis ex obſeruationibus Brahæi. Tu igitur ex his tabulis motus tuo labore computares: quod facilius poſſes, quàm quiſquam alius. Tuum igitur eſt, tuas penſitare conditiones, mihique ſuper his ſententiam tuam aperire.

Vale 22. Martij 1610. Pragæ.

Excellentiæ Tuæ

Officioſiſſimus

Io. Keplerus S.C.M. Mathematicus.

Ad

Ad eundem Clariſſimum Virum D. Io. Keplerum Cæſareum Mathematicum.

Clariſſime, ac Præſtantiſſ. Vir.

EX vltimis ad me 22. Martij datis ingenuitatem tuam de paruulo illo errorculo circa æquationes Solis, de quo nil vlterius mihi dicendum relinquitur, animaduerti. Confidentiam autem tuam, quam re vera erga me geras cum ex alijs plurimis tum vel maxime exinde quia optas, vt conficiamus vnà nouas Ephemerides ſecundũ Tychonicum calculum ad multos præteritos & futuros annos, ſatis abundè declaraſti. Modum & rationem aliquam ſecuram & certam, vtinam in hoc noſtro propoſito poſſimus inire, tam gratum quàm quod gratiſſimum foret: cum ob maximam vtilitatem, tum ob honorem ac famam perennem à ſtudioſis Mathematum. Horum prius ſeruiret nobis & noſtratum poſteris. Alterum confutaret Origanum & eius Ephemeridibus nobis viuis exiſtentibus tenebras offunderet. Addo ego & meum inſatiabile deſiderium, quo calculus hic aliquando Iudiciariæ Aſtrologiæ ſummoperè inſeruiens prodeat. Conditiones à te mihi propoſitas rationis lance libraui. Ego ad vos Pragam vt veniam, & ibi temporis aliquid teram eſt impoſſibile. Quia valetudo mea eſt inconſtans. Aliquando enim dolores arthetici pedes, manus, hypochondria laceſſere ſolent. Ab hinc etiam duobus annis colica bis periculoſiſſimè laboraui, ſi cura domeſtica non præceſſiſſet, ſi Medicorum copia & conſilia non ſubleuaſſent, interijſſem. Iter eſt longum. Via difficultatibus & periculis plena. Si quid mali occurreret, vnde ſolatium? vnde leuamen? vnde auxilium? In ſenio Italicum cælum cum Germanorum commutare, eſt periculoſum. Non ſum adſueſactus hypocauſtis calidis, non ceruiſiæ, non cibo ac potu Germanorum ſuperfluo. Præterea lecturam publicam cum prouentu 500. aureorum & ſpeauctatij deſerendam nec volo nec debeo, vt ſileam priuata commoda & auxilia, quæ à principibus, & alijs nobiliſs. Viris mihi ſæpè ſuppeditantur. Nam vt reliqua taceam, ceſſantibus publicis, ad aulam Sereniſſimi Mantuæ Ducis vt plurimum me transfero, ex qua ad minimum 400. ducatos reportare ſoleo ob illorum Principum liberalitatem & benignitatem. Taceo ſumptus maximos, quos iter & mora requireret. Tandem verò familia vxore, patre, filijs, & ſeruis onuſta aditum Pragam certius præcludunt. Ad quid hoc meum iter? cum commodior

ſecuritas

ſecuritas ſeſe nobis offerat eaque talis. Tabulam cuiuslibet Planetæ ſeparatim mitte ego viciſſim eiuſdem Planetæ calculum ad 60. annos tam præteritos quam futuros ad finem perductum tibi bona fide reſtituam, quo tu ſucceſſiuè mihi tabulam alterius Planetæ communices ad illum met calculandum, donec ad vmbilicum perductum ſit negocium totum. In quo perficiendo celeritatem meam fortaſſis demiraberis. Neque deſcriptio Italiæ, in qua circiter 2. millia ductorum hucuſque impendi, ab hoc noſtro propoſito detinebit. Lubens editionem illius huic poſtponam. Puto autem ab anno 1583. vel potius 1581. vſque ad annum præſentem 1610. non opus eſſe deſcriptione aſpectuum, ſed ſufficere, vt Planetarum tantum motus in longum & latum computentur. Atque ita quilibet annus poſſet 7. aut 8. cartis contineri. Quibus ſi adderes obſeruationes & Tychonicas, & tuas, gratius ſtudioſi acciperent. Ephemerides ab anno 1581. quo meæ Copernicæ incipiunt, vſque ad annum 1640. eaſque in duo volumina diuiſas, ac editas, vt anni præteriti ſeparatim & anno futuri ad libitum ſtudioſorum haberi poſſint, libenter elaborarem. De hæredibus intricatum mihi videtur negocium: optarem ego, vt communi ſumptu Ephemeridum integrum opus nullis annis retentis à principio imprimatur, & publicetur. Et omnia exemplaria inter nos æqualiter diuidantur. Quod ſi aut tu aut aliquis Librarius tuo conſenſu expenſis proprijs totum opus ſuſcipiet, etiam exemplariorum impreſſorum ſummam pro meo labore libentius recipiam, vt ea per Italiam diſtribuam. Securitas, ne tuæ tabulæ aut hæ Ephemerides à me confectæ, te inſcio ac inuito in Italia aut alibi edantur hæc eſto:

Hic chirographo meo proprio me obligabo bonis præſentibus & futuris, vt poſſis contra me, & mea bona, ſecus ſi fixim, agere, & in tali caſu infamem vitam meam reddere. Totus enim apertè & candidè, vt aliàs ſemper feci ſine fuco tecum procedam. Similiter quin facturus ſis, nullatenus dubito. De quatuor Galilæi nouis Planetis quid ſentias iudicium audire expecto. Interim benè vale, & ad me quam primum reſponſum remitte. Bonon. 20. Aprilis 1610.

Excellentiæ Tuæ

Studioſiſſimus

Io. Antonius Maginus.

Clariſſ. & Excell. Viro D. Ioan. Antonio Magino Mathematico Bononienſis Gymnaſij.

EGo, Clariſſime Vir, cogitaueram ad tuas 20. Aprilis datas, reſpondere ſolidè, ſed præter opinionem accidit, vt die deſtinata ſcriptioni in aulam eundum, ibique perſpicilli cauſa tempus terendum eſſet. Incidi in familias Principum antiquitus notas, dies abijt. Alia ſolido reſponſo quærenda. Moræ damnum nullum erit: nam deſcripta tabularum Martis non habeo; necdum ſatis de conditionibus actum; nec Cæſar, quid huius laturus ſit vel probaturus, adhuc ſe reſoluit. Hac vice breuiter agam & parergas conditiones attingam.

Aequas fers conditiones computandi, ſi benè te intelligo. Addam proximè aliquas, & quæ obſcurè ſcriptæ, illas dilucidabo.

Quod impreſſionem, ſi tu vel dimidium exemplarium petes pro impenſarum dimidio, vel certum numerum pro labore: nemo erit in Germania, qui vel aſſem impenſarum ſuſtineat ſolus, vel iuxta te ſemiſſem. Igitur aut pete pecuniam pro labore; aut exemplaria hac conditione, vti pro ijs dimidium precij perſoluas, aut ea non ante recipias, quam ego tantundē ex alijs exemplaribus præſentis pecuniæ habeam; aut denique ſocietas impenſarum exemplariumque, & lucri, indiuiſa ad hæredes tranſeat, ſi contingat me, vel te mori reſtantibus exemplaribus, nihil diuidatur, niſi pecunia præſens, quæ erit quouis tempore. Id quomodo citra magnas impenſas vel negocium fieri poſſit, proximè aperiam. Vnum valde neceſſario es monendus, Fundamentum, quo tu niteris, non valde placet. Tu ideò mecum vis contrahere, vt Origani Ephemeridibus tenebras offundamus. Ego etſi non teneor indemnem præſtare Origanum, nihil tamen huius faciam vindictæ ſtudio, quod meas admonitiones & oblatam ſocietatem contempſit. Itaque hæc ſummè neceſſaria erit conditio, vt huius veſtri certaminis in Ephemeridibus communi nomine edendis, ne leuiſſima quidem fiat mentio.

Quòd ſi interim dum inter nos plenè conueniat, aliquid contra Origanum es ſcripturus, id ita modereris, ne me aut contractum hunc noſtrum implices. Malim te prius defunctum labore reſpondendi Origano. Nam quid inter nos agatur, conſultius & ſpecioſius eſt facto, ante verba demonſtrare. Sed deſino iam, tempore excluſus.

Vale raptim Pragæ 10. Maij anno 1610.

T. Excell. Officioſiſs.

Ioan. Keplerus.

Clariſ. & Excellentiſ. Viro D. Ioanni Keplero Mathematico Cæſareo.

Vir Clariſſime.

DISSERTATIO cum nuncio ſydereo literis incluſa, 20. Maij mihi eſt tradita: methodus perplacet, & Galilæo haud ingratam futuram credo. Meſtlini Theſes & opus anno præterito ab eodem editum de Planetarũ hypotheſibus nunquam à me viſum, ſi tua opera conſequi liceret, eſſet gratiſſimum, omnia libens vice alia recompenſabo. Mittendi occaſio offeriur opportuna. Si enim dederis, Illuſtriſſimus Dominus Archiepiſcopus Caietanus, Nuncius Apoſtolicus breui in Italiam profecturus adferet. Seruitia prompta viciſſim polliceor. Ephemerides quod attinet, à te ſolidum reſponſum expecto. Meum interim animum D. Altogradus Orator Reip. Lucenſis tibi aperiet, cui omnia ſcripſi. Origano ante conſtructionem Ephemeridum breui paucis errorem, quem in longitudine Venetiarum, & Francofurti, necnon in aſpectibus commiſit omni cum modeſtia denuò confutabo, relictis conuitijs, quibus tota eius epiſtola ſcatet. Finem ſcriptioni impono, & te cum omnibus tuis tutelæ diuinæ commendo.

Vale Bononiæ 26. Maij anno 1610.

Excellentiæ Tuæ

Studioſiſſimus

Ioan. Antonius Maginus.

IOANNIS ANTONII
MAGINI PATAVINI
Compendium ſupputandarum Eclipſium ex Tychonico calculo correcto.

CANON PRIMVS.

Ad explorandum verum tempus ☌, vel ☍ luminarium.

PRIMO quidem, vt breuiter rem hanc pertractemus, præſupponemus tempus ipſius ☌, vel ☍ eſſe quàm proximè cognitum, idque vel ex Prutenico calculo hactenus vſitato, vel ex Ephemeridibus, quæ ad plures annos à nobis, & ab alijs conditæ ſunt. Deinde ad illud temporis momentum ſupputabis vera luminarium loca ex his noſtris Tychonicis Tabulis, quæ ſi videris cõuenire in eodem ſigno, gradu, & minuto, tempus aſſumptum erit conueniens illi luminarium coniunctioni. Quòd ſi luminaria obtinuerint ex illo calculo loca oppoſita ad vnguem in gradibus & minutis, erit quidem illud tempus ritè conſtitutum ad illam luminarium oppoſitionem. Si calculus diſcrepabit, neceſſe erit tempus corrigere per horarium Lunæ motum à Sole, qui habetur ex tabella inferius poſita, ingrediendo in eam cum Lunæ Anomalia æquata. Nam vbi hunc horarium Lunæ motum à Sole adinueneris in fronte Tabulæ verificationis ☌ & ☍ luminariũ, quæ habetur pag. *676.* in noſtro Tabularum Secundorum Mobilium volumine, & à latere ſiniſtro differentiam locorum luminarium ad ſcrupula, & ſecunda, obtinebis quidem tempus addendum priori tempori, ſi locus ☽ fuerit minor loco Solis: ſed auferendum ab eodem, exiſtente Lunæ loco in pluribus gradibus & minutis, quàm ſit Solis locus. Poſtremo ad hoc correctum tem-

T pus

pus ſupputanda denuò ſunt vtriuſque luminaris loca,quæ ſi aliqua differentia diſcrepabant, colligi poterit tempus ad eundem prorſus modum per ſuperationem ☽ à Sole horariam, vt adamuſſim habeatur calculus.

Exemplum primum.

Sit ſupputanda Eclipſis illa Lunaris iuxta hũc Tychonicum calculum, quam in noſtris Ephemeridibus notauimus accidere ex Copernici calculo ad diem 23. Aprilis, & ad horam 16. 42′. poſt meridiem ad horizontem Venetum. Ad hoc autem temporis momentum colligo luminarium vera loca ex ſupradictis Tychonicis Tabulis, vt hic.

S	G	′	″	
1	1	59	17	Longitudo ☉ ab Aequinoctio.
3	5	49	44	Apogæum.
9	26	9	33	Anomalia Solis annua.
	1	49	43	Aequatio addenda.
1	3	49	0	Verus locus ☉
7	4	47	32	Longitudo ☽ ab Aequinoctio.
5	14	39	8	Anomalia ☽ media.
	1	21	26	Aequatio Epicyclica ſubtrahenda.
5	13	17	42	Anomalia Lunæ æquata.
7	3	26	6	Longitudo ☽ æquata.
1	3	49	0	Verus locus ☉
5	29	37	6	Diſtantia luminarium.
		1	32	Aequatio Eccentricitatis ſubtrahenda.
7	3	24	34	Verus locus ☽
		24	26	Differentia à loco ☉ oppoſito.

Luna igitur ad illud momẽtum nondum aſſequitur Solis oppoſitum, differens min. 24′. 26″. Quare cum Lunæ Anomalia colligo ex tabella motus horarij infra poſita horarium motum ☽ à Sole min. 33′. 15″. quem adinuenio in tabella verificationis ☌ & ☍ luminarium, & cum min. 24′. 26″. Differentiæ luminarium colligo min. 44. temporis, quæ addenda ſunt tempori dato, vt prodeat dictæ oppoſitionis tempus ad horam 17. 26′. & rurſus ad hoc tempus inquiro luminarium loca, vt hic.

S	G	′	″	
1	2	1	5	Longitudo ☉ ab Aequinoctio.
3	5	49	44	Apogæum.
9	26	11	21	Anomalia ☉
	1	49	42	Aequatio addenda.
1	3	50	47	Verus locus ☉
7	5	11	41	Longitudo Lunæ ab Aequinoctio.
5	15	3	5	Anomalia ☾
	1	19	23	Aequatio Eccentricitatis ſubtrahenda.
5	13	43	42	Anomalia æquata.
7	3	52	18	Longitudo ☾ correcta, ſeu verus locus ☾
		1	31	Differentia à Solis oppoſito.

Superauit auté Luna ad hoc momentum Solis oppoſitum min. 1′. 31″. vnde tempus huic differentiæ correſpondens ſcilicet min. 2′. 45″. auferendum eſt à tempore ſuperius correcto, vt prodeat exactum tempus ☍ ad horam 17. 23′. 15″. ad quod ſic ſe habent luminarium motus.

S	P	′	″	
1	3	50	40	Verus locus ☉
7	5	10	10	Longitudo ☾ ab Aequinoctio.
5	15	1	35	Anomalia ☾
	1	19	30	Aequatio Epicyclica ſubtrahenda.
5	13	42	5	Anomalia æquata.
7	3	50	40	Verus Lunæ locus.
0	24	33	21	Verus locus ☊
6	9	17	19	Argumentum latitudinis.
	0	48	7	Vera Lunæ latitudo Merid.

Reducitur verò ſupra dictum tempus ad apparens iuxta doctrinam Canonis ſexti ſuperioris ſupplementi addendo, ſcilicet min. 9′. 2″. collecta ex tabella æquationis temporis in Luna, atque ſic prodit correctum tempus ad hor. 17. 32′. 17″. dictæ ☍.

Secundum Exemplum.

Libeat modò indagare tempus veræ luminarium coniunctionis Eclipticæ eiuſdem anni, quod ſecundum calculum Prutenicum notauimus in noſtris Ephem. ad diem 3. Octobris hor. 1. 33′. à Meridie. Sed cum Tychonicus calculus ad illud momentum luminaria coniuncta non exhibeat, ideò facta iuſta, ex reiteratione calculi, rectificatione, colligimus exactum dictæ coniunctionis tempus eſſe ad hor. 1. 16′. 19″. p. m. & verum luminarium calculum hunc eſſe.

S	P	′	″	
6	12	0	54	Longitudo ☉ ab Aequinoctio.
3	5	50	4	Apogæum ☉
3	6	10	50	Anomalia ☉
	2	2	42	Aequatio ſubtrahenda.
6	9	58	12	Verus locus ☉
6	14	4	26	Longitudo ☽ ab Aequinoctio.
4	5	50	45	Anomalia ☽
	4	6	14	Aquatio Epicyclica ſubtrahenda.
4	1	44	31	Anomalia ☽ æquata.
6	9	58	12	Longitudo ☽ æquata, ſeu verus locus eius.

CANON SECVNDVS.

An propoſita luminarium oppoſitio ſit Ecliptica.

CANONE 67. Tabularum Secundorum Mobilium noſtrarum duas dedimus regulas cognoſcendi Lunares Eclipſes ſecundum Prutenicum calculum, quæ vſum habeat quoque in Tychonico calculo. Prima quidem eſt, conferendo verum Lunæ locum cum vero nodi Borei, ſeu Auſtrini loco: Nam quando Luna ipſa minus diſtat ab alterutro nodo gradibus 12. ſiue in antecedentia, ſiue in conſequentia, dubio procul patietur Eclipſim.

Vt in dicto noſtro exemplo oppoſitionis luminarium ad diem 23. Aprilis anni 1614. Cum detur Lunæ locus verus in gr. 3. 50′. 40″. ♏. & locus nodi Auſtrini, ſeu ☋ in gr. 24. 33′. 21″. ♎ erit diſtantia ☽ à dicto nodo grad. 9. 9′. tantummodo. Quare certò pronunciari poteſt, oppoſitionem illam fore Eclipticam.

Altera

Altera regula & magis expeditior præcipit, comparandam eſſe Lunæ veram latitudinem ad tempus veræ oppoſitionis cum aggregato ſemidiametrorum Lunæ & vmbræ terrenæ: Nam quando illo dicto aggregato reperitur minor, plenilunium illud erit Eclipticum, vt in ſequenti Canone dicemus.

CANON TERTIVS.

De apparentibus Semidiametris Solis, Lunæ, & vmbræ terræ.

IVXTA hypotheſes Copernici dedimus Canonem 68. noſtrarum Tabularum Secundorum Mobilium pro inquirendis horum trium corporum ſemidiametris. Sed tamen limitatio horum ſemidiametrorum à Copernico tradita minimè apparentijs cęleſtibus ſatisfacit. Quinetiam nec Tychonica deſignatio dictorum ſemidiametrorum veritati correſpondet, quæ habetur in Progymnaſmatis ipſius Tychonis, cum ille quidem vir vno ſcrupulo diametrum Solis apparentem ampliorem faciat in Perigæo quàm re vera ſit, vtpote minutorum 32. cum tamen ex doctiſſimi Kepleri correctione in ſuis Paralipomenis ad Vitellionem, dentur tãtummodo min. 31. Sed multo magis deceptus fuit idem Tycho in taxanda Lunæ diametro, dum putat ipſam in coniunctionibus eſſe multò minorem quàm in oppoſitionibus, quaſi Luna (tametſi in vtraque habitudine æquali interſtitio à terra remoueatur) nõ retineat eandem diametrum viſibilem tunc, quam retinet in oppoſitionibus, vultque ille vi luminis Solaris margines Lunæ extenuari ad quartam ferè totius diametri Lunaris partem. Qua de cauſa dedit Tabulam ſemidiametrorum Lunæ peculiarem, continentem nimirum ſemidiametrum Lunæ in ☌ minorem quã in ☍ plus tribus minutis, vt ſit tota Lunæ diamerer viſibilis in ☌ ſex minutis cum dimidio propemodum minor, quam in ☍. Sed cum huic Tychonis aſſertioni refragetur experientia omnis: tunc enim ſequeretur, nunquam fieri totales obſcurationes Solares, cum tamen ſæpè obſeruatum ſit Solem totaliter fuiſſe obſcuratum. Idcirco ſecundum doctrinam Appendicis ad Tychonis Progymnaſmata, & de mente doctiſſimi Kepleri in ſuis iam dictis Paralipomenis ad Vitellionem, damus infra correctiorem ſemidiametrorum luminarium Tabulam, ſecundum quam ſi ſupputentur luminarium Eclipſes, prodibunt profectò multò certiores quam ex calculo merè Tychonico, quem tradidit Tycho in ſuis Progymnaſmatis, & quem malè conſultus Origanus ſequitur in ſuis Ephemeridibus.

Pro colligendo itaque Solis ſemidiametro apparente, vtaris Anomalia Solis annua, & pro colligenda Lunæ ſemidiametro, atque etiam vmbræ terrenæ, vtaris Anomalia Lunæ æquata. Cumque vmbræ terræ ſemidiameter euariet ratione ſitus Solis, ſiquidẽ ſemidiameter vmbræ, quæ notatur

tatur

tatur in Tabula, fit Sole verſante in Apogæo, & illico ſequitur variatio ipſius, quæ fit pro remotione Solis ab Apogæo; idcirco cum Anomalia Solis ſumenda eſt variatio vmbræ ſemper auferenda ab vmbræ terrenæ ſemidiametro, vt prodeat ipſa correcta.

Exemplum.

Sit colligenda Solis ſemidiameter ad tẽpus Nouilunij Ecliptici 1614. die 3. Octobris, ſicut in ſecundo exemplo primi Canonis notauimus. Cũ Anomalia igitur Solis quam in dicto Canone poſuimus ſig. 3. gr. 6. 11′. comperio in Tabula ſemidiametrorum paulò infra poſita Solis ſemidiametrum apparentem min. 15′. 16″.

Similiter quoque in altero exemplo Plenilunij Ecliptici eiuſdem anni ad diem 23. Aprilis cum data ſit Lunaris Anomalia æquata ſig. 5. gr. 13. 42′. Ipſi quidem in eadẽmet Tabula reſpondet ſemidiameter ☽ min. 17′. 16″. & ſemidiameter vmbræ terrenæ ſcr. 46′. 52″. & variatio vmbræ elicitur cum Solari Anomalia ſig. 9. gr. 26. 11′. ex eadem tabella Secundorum 9. quæ allata à terrenæ vmbræ ſemidiametro relinquit illam æquatam & correctam min. 46′. 43″.

CANON QVARTVS.

De magnitudine Lunaris Deliquij.

RECVRRAS ad Canonem 69. noſtrarum Tabularum: nam eodem modo, quo in calculo Copernici, quantitas futuri defectus cognoſci poteſt. Satisfacit enim pro hoc negocio eademmet tabella digitorum Eclipticorum, quæ habetur in dictis Tabulis pag. 684. In qua ſanè fit introitus lateraliter cum apparente Lunæ diametro, & in fronte cum exceſſu ſummæ ambarum ſemidiametrorum, Lunæ ſcilicet, & vmbræ, quando à dictis coniunctis ſemidiametris aufertur vera Lunæ latitudo, & in area patent digiti Ecliptici ſeu puncta talis defectus. Ecce autem exempli formulam pro dicto Plenilunio Ecliptico.

P	'	''	
	17	16	Semidiameter ☽
	34	32	Tota ☽ diameter.
	46	52	Semidiameter vmbræ terræ.
		9	Variatio vmbræ.
	46	43	Semidiameter vmbræ correcta.
	63	59	Aggregatum ſemidiametrorum.
	48	7	Latitudo ☽ ad medium ☍
	15	52	Exceſſus.
5	31		Digiti ſeu puncta Eclipſis.

CANON QVINTVS.

De Scrupulis Incidentiæ, & moræ dimidiæ, ex quibus tempus Incidentiæ & moræ cognoſcitur.

CANONE 70. earumdemmet Tabularum egimus de Scrupulis Incidentiæ, & moræ, cuius Canonis ſumma hæc eſt. Si Eclipſis Lunæ fuerit partialis, hoc eſt minor quam 12. digitorum, vel præcisè 12. digitorum, qui integram Lunarem diametrum complent, ingredere tabellam Scrupulorum Incidentiæ, & moræ dimidiatæ ſimul in defectu Lunæ poſitam pag. 689. noſtrarum Tabularum Secundorum Mobilium, comperiendo in fronte aggregatum ſemidiametrorum Lunæ & vmbræ, & à latere latitudinem ☽ veram ad medium Eclipſis, & in area dabuntur Scrupula Incidētiæ, quæ Luna à Sole peragrat ab initio defectus vſque ad medium, & rurſus à medio vſque ad finem. Quæ quidem Scrupula Incidentiæ comperta lateraliter in Tabulam verificationis ☌ vel ☍ luminarium, quæ habetur pag. 676. ſub debita columna continente ſuperationem ☽ à Sole horariam, dabunt in area quæſitum tempus Incidentiæ. Sed cum Eclypſis exceſſerit 12. digitos ſeu puncta; tunc quia erit cum mora aliqua in tenebris, opus eſt ſeparare Scrupula moræ à Scrupulis Incidentiæ. Collectis enim prius Scrupulis Incidentiæ ad eundem modum colliges confeſtim Scrupula moræ dimidiatæ cum differentia Scrupulorum vtriuſque ſemidiametri Lunæ & vmbræ in fronte comperta, & à latere cum vera ☽ latitudine ex tabella, cui titulus eſt Moræ dimidiatæ in Eclipſi Lunæ pag. 688. Quæ Scrupula moræ dimidiæ ſi fuerint ſublata à Scrupulis Incidentiæ & moræ dimidiæ ſimul confuſis, relinquentur Scrupula Incidentiæ ſola. Cum quibus quidem Scrupulis Incidentiæ & moræ ſeparatis ab inuicem colliges per Tabulam verificationis ☌ vel ☍ luminarium, ope ſuperationis Lunæ horariæ, tàm tempus incidentiæ, quàm tempus moræ,

moræ, ac proinde initium exitum, atque integram durationem ipſius deliquij probè cognoſces, ſicut diximus Canone 71. dictarum noſtrarum Tabularum. Sed adhibito aliquo exemplo rem hanc clarius intelliges.

Continuãdo itaque idem exemplum Lunaris Eclipſeos, recurro ad Tabulam Scrupulorum Incidentiæ, & moræ dimidiæ ſimul in defectu Lunæ, ſumendo in eius capite aggregatum ſemidiametrorum ☽ & vmbræ min. 63′. 59″. & à latere ſcrupula 48′. 7″. latitudinis ☽, & in area excipio Scrupula Incidentiæ 42′. 10″. adhibita correctione, vt moris eſt. Quæ ſcrupula ſic conuertuntur in tempus. Cum Anomalia ☽ ſit ſig. 5. gr. 13. 42′. accipio cum ea motum ☽ à Sole horarium min. 33′. 16″. ex infra poſita tabella, quem obſeruo in fronte Tabulæ verificationis ☌, & ☍ luminarium, quæ habetur in noſtris Secundorum Mobilium Tabulis, & cum Scrupulis Incidentiæ à latere compertis, colligo tempus Incidentiæ h. 1. 16′. 2″. Cum autem Eclipſis medium tempore apparenti ſit notatum ad diem 23. Aprilis h. 17. 32′. 17″. erit igitur initium ad horam 16. 16′. 15″. & finis ad h. 18. 48′. 19″.


CANON SEXTVS.

Veram Lunæ latitudinem tàm ad initium, quàm ad finem Lunaris deliquij cognoſcere, atque ipſius deliquij typum effigiare.

HABEAS verum Solis motum congruentem temporis dimidiæ durationis Eclipſis, quem adde Scrupulis Incidentiæ, & moræ dimidiæ ſimul: nam ſic efficies verum Lunæ motum congruentem eidem tempori, quẽ motum auferes à vero Argumento latitudinis ad medium Eclipſis, & prodibit Argumentum latitudinis ad initium, & eundem motum pariter adde eidemmet Argumento ad medium Eclipſis, & erit Argumentum latitudinis ad finem Eclipſis. Vnde facilè illo mediante obtinebis veram Lunæ latitudinem, tàm ad initium, quàm ad finem ipſius Eclipſis. Vt in noſtro exemplo, in quo dabatur Argumentum latitudinis ☽ ad medium Eclipſis ſig. 6. gr. 9. 17′. 19″. & Scrupula Incidentiæ 42′. 10″. atque tempus Incidentiæ h. 1. 16′. cui competunt de motu ☉ m. 3′. 8″. quæ addita Scrupulis Incidentiæ, faciunt m. 45′. 18″. pro motu ☽ congruente dimidiæ durationi Eclipſis. Si itaque hunc Lunæ motum auferemus primo ab Argumento latitudinis dicto, poſtea addemus eidem, conficiemus Argumentum latitudinis, tam ad initium Ecclipſis, quàm ad finem, ex quo colligetur latitudo, vt hic.

S	G	′	″	
6	9	17	19	Argumentum latitudinis ☾ ad mediū Eclip.
		45	18	Motus ☾ competens dimidiæ durationi.
6	8	32	1	Argumentum latitudinis ad initium.
		44	14	Vera latitudo ☾ ad initium.
6	10	2	37	Argumentum latitudinis ad finem.
		52	3	Vera latitudo ad finem.

Typum verò huius Eclipſis conuenienter deſignamus iuxta Can.74. dictarum noſtrarum Tabularum, vt hic habes.



CANON SEPTIMVS.

De luminarium Parallaxibus in Solaribus deliquijs neceſſarijs; & primo de Solis Parallaxi in circulo altitudinis, ſeu verticali.

NON eſt neceſſe, vt hic repetamus ea, quæ de Parallaxi, ſeu aſpectus diuerſitate fuſius tractauimus Canone 75. Tabularum Secundorum Mobilium, ad quem ſtudioſum lectorem remittimus, & ad praxim accedentes, dicimus, quod cum luminarium Parallaxes nequeant haberi,

niſi prius cognita fuerit altitudo vtriuſque ſupra Horizontem; idcirco pro hac habenda cōfugiemus ad aliquod ex Problematibus Septimi Libri noſtri Primi Mobilis, ſcilicet ad decimum, vel vndecimum. Sed magis forſan expediet vti duodecimo Problemate, ope ſcilicet anguli Eclipticæ, & Horizontis, qui facilè poteſt colligi ad quamcumque horam ex particularibus Tabulis, quas in noſtro Directionum opere damus.

Primo itaque cognoſcendum eſt ad horam datam Nouilunij Ecliptici, punctum illud Eclipticæ exoriens, vel occidens, cui ſcilicet propior fuerit Sol, atque ipſius quoque Solis à dicto met puncto diſtantia computanda eſt ſecundum Eclipticæ arcum.

Deinde ſecundo colligendus eſt angulus Eclipticæ & Horizontis ad illud punctum exoriens vel occidens, ſicut docuimus Canone 20. Tabularum Primi Mobilis, videlicet accipiendo ſignum in fronte, & gradus à latere ſiniſtro, ſeu ſignum in calce, & gradus à latere dextro illius Tabulæ angulorum Eclipticæ, & Horizontis, quæ eleuationi tuæ ciuitatis aptatur. Quæ ſanè Tabulæ ad plures eleuationes polares reponuntur in fine dicti voluminis.

Tertio cum hoc angulo Eclipticæ & Horizontis, atque cum diſtantia Solis à puncto orientis vel occidentis lateraliter in prima ſeu Generali Primi Mobilis Tabula cōpertis excipies in area altitudinem Solis quæſitā.

Poſtremò verò cū hac Solis altitudine ſupra Horizontem à ſiniſtro latere Tabulæ parallaxium Solarium comperta obtinebis ipſam Solis parallaxin.

Sit adinuenienda Solis parallaxis ad tempus veræ coniunctionis diei 3. Octobris hor. 1. 16′. 19″. quam ſupputauimus ſupradicto Canone 1. in gr. 9. 58′. 12″. ♎ cui loco reſpondet ſub titulo decimę domus ad eleuationem poli graduum 45. hor. 12. 36′. 38″. Tempus à Meridie.

1 16 19	Tempus addendum veræ ☌.
13 52 57	Aggregatum temporis, ex quo

in Tabula domorum cęleſtium habetur gradus exoriens 2. 17′. ♑ à quo diſtat Sol grad. 82. 26′. quod patet ſubducendo locum Solis à dicto gradu exoriente. Cum gradu autem exortus colligo ex Tabula angulorum Eclipticæ & Horizontis ad latitudinem grad. 45. quæ habetur pag. 201. Tabularum Primi Mobilis, angulum grad. 38. 34′. cum quo angulo & cum diſtantia Solis ab ortu gr. 82. 26′. colligo ex prima Tabula generali Primi Mobilis per lateralem introitum altitudinem Solis ſupra Horizontem grad. 38. 10′. cum qua demum in Tabula parallaxium Solarium, quæ ponitur in hoc volumine pag. 59. Parallaxin Solis min. 2′. 21″. in circulo altitudinis.

Para-

CANON OCTAVVS.

Parallaxin ☽ in circulo itidem altitudinis tempore coniunctionis cum Sole indagare.

ALTITVDO Solis nunc explorata deſeruit etiam pro Lunæ altitudine, quando ipſa luminaria coniunguntur. Collecta autem per Lunæ Anomaliam diſtantia Lunæ à terra in Semidiametris terræ ex ſubſequenti Tabella, obſeruabis eam frontaliter in altera Tabella parallaxiũ Lunarium, & à latere Lunæ altitudinem, & in area obtinebis ☽ parallaxin in circulo altitudinis, à qua ſi reieceris Solis parallaxin in ſuperiori Canone adinuentam, habebis quidem parallaxin Lunæ ad Solem.

Vt in eodem exemplo Eclipticæ ♉ fuit adiuenta Solis altitudo gr. 38. 10'. & tanta eſt etiam Lunæ altitudo, cumque Anomalia Lunaris æquata detur in exemplo ſuperioris primi Canonis ſig. 4. gr. 1. 44'. 31''. colligemus cum illa diſtantiam ☽ à terra ſemid. 55. 48'. & parallaxin ☽ ſimplicem 49'. 1''. à qua ſi tollatur Solis parallaxis, remanet ☽ parallaxis à Sole in circulo altitudinis 46'. 40''.

CANON NONVS.

Ex parallaxi ☽ à Sole in circulo altitudinis diſcernere parallaxin eiuſdem Lunæ à Sole, tàm in longitudinem, quàm in latitudinem.

BREVIOREM ac compendioſiorem nunc dabimus formam parallaxes Lunares exquirendi, quàm fecerimus Canone 76. Tabularum Secundorum Mobilium. Confugiendum eſt autem ad problema duodecimum Libri XII. noſtri Primi Mobilis, vbi diuerſos damus modos parallaxin, tàm longitudinis, quàm latitudinis explorandi cum demonſtratione & figuratione Sphærica competenti, ex quo problemate accepimus hanc praxin ceteris expeditiorem.

Primo quidem colligatur angulus, quem facit Ecliptica cum verticali, ſeu circulo altitudinis apud Lunam, ſicut docuimus prob. 35. Sexti Libri Primi Mobilis, in hunc videlicet modum. Ingredere Tabulam tertiæ Analogiæ, quæ habetur in noſtris Directionum Tabulis, cum diſtantia Solis ab ortu vel occaſu in eius calce, & à ſiniſtro latere cum angulo Eclipticæ & Horizontis paulò ſupra explorato, & in area habebis complementum anguli Eclipticæ cum circulo altitudinis ſeu verticali, vnde per ſubductionem à gradibus 90. non latebit ille angulus.

Secundo pro eruenda parallaxi in longitudinem, ingredere Primi Mobilis generalem Tabulam cum hoc inuento angulo Eclipticæ & verticalis à dextro latere eius, & cum parallaxi Lunæ à Sole in circulo altitudinis

tudinis in fronte, & in area dabitur parallaxis in longitudinem.

Tertio demum ingredere iterum eãdem Primi Mobilis Tabulam cum ijſdem datis, ſumendo vt ſupra in fronte parallaxin ☽ à ☉ in circulo altitudinis, ſed à ſiniſtro latere angulum Eclipticæ & verticalis, & in area pariter patebit parallaxis in latitudinem. Quæ tamen non ſolet colligi niſi ad ipſiſſimum momentum viſibilis coniunctionis luminarium. Et in hac profectò operatione expedit magis vti generali Tabula illa Primi Mobilis, quæ habetur in noſtro Primo Mobili, & continet ſecunda ſcrupula: non autem illa, quæ extat in noſtris Directionum Tabulis ad gradus & minuta tantum elaborata.

Præterea, & hoc etiam aduertendum eſt, quod in operatione collectionis parallaxis longitudinis, ſequimur formam calculi rectilinei trianguli rectanguli, cum triangulum illud Sphæricum rectangulum conſtet ex tribus exiguis arcubus inſenſibiliter à rectis lineis differentibus, eo quia baſis, ſeu maius latus rectum ſubtendens non eſt vnquam maior 66. minutis, quanta ſcilicet eſt maxima parallaxis ☽ in circulo altitudinis, reliqua verò duo latera ambientia rectum angulum referunt parallaxes longitudinis & latitudinis, vt patet in noſtro Primo Mobili.

In noſtro aſſumpto exemplo cum diſtantia Solis ab ortu grad. 82. 26′. ſumpta in calce Tabulæ tertiæ Analogiæ, & cum angulo Eclipticæ & Horizontis in fronte eiuſdem accepto grad. 38. 34′. colligo ex area grad. 6. 0′. cuius complementum eſt angulus Eclipticæ cum verticali grad. 84. 0′. quem quidem angulum comperio à dextro latere generalis Tabulæ & in fronte parallaxin Lunæ à Sole in circulo altitudinis nempe min. 46′. 40″. & in area patet parallaxis Lunæ à Sole in longitudinem min. 4′. 53″.

CANON DECIMVS.

Momentum temporis apparentis & luminarium exactè definire.

SOLARIBVS in deliquijs tempus illud ſolet conſiderari, quo luminaria ipſa viſibiliter non autem verè coniunguntur, hoc eſt, quando ambo ipſa lumina in recta incidunt linea, quæ à ſuperficie terræ, ſeu ab oculis aſpicientium educitur ad luminaria: nam ſecundum illam, & non aliam lineam contingunt defectus Solares. Ad hoc autem temporis momentum inueſtigandum opus eſt primo, vt ad tempus veræ coniunctionis colligatur parallaxis Lunæ à Sole in longitudinem, ſicut diximus in præcedente Canone.

Deinde ſecundo cognoſcendus eſt apparens Lunæ motus à Sole horarius, vel ad aliquod aliud temporis ſpatium, & quidem ante veræ coniunctionis momentum, ſi ipſa coniunctio fiat in quadrante orientali Eclipticæ; ſed poſt illud, ſi in quadrante Eclipticæ occidentali continget. Tradidimus autem Canone 77. Tabularum Secundorum Mobilium modum

dum colligendi ipſum motum Lunæ horarium apparentem à Sole, vel cum aliud temporis ſpatium, quam operationẽ ad vnguem ſequi poteris, præterquam quod elicere debes horarium motum Lunæ à Sole ex tabella, quæ paulò poſt ſequetur. Sed fortaſſe minus perplexa erit forma colligendi horarium motum Lunæ à Sole, definiendo, tàm ad initium, quàm ad finem horæ viſum Lunæ locum: nam vtriuſque differentia erit horarius Lunæ motus apparens à quo ſubducendo Solis motum horarium, relinquitur horarius motus Lunæ à Sole apparens. Poſtea verò recurre ad Tabulam verificationis ☌ luminarium, quæ ponitur pag. 676. Secundorum Mobilium, obſeruando in eius fronte apparentem Lunæ horarium motum à Sole, & à latere parallaxin Lunæ à Sole in longitudinem, atque quicquid in area Tabulæ excipies, erit temporis interuallum inter veram & apparentem luminarium coniunctionem. Quod ſanè ſubducendum eſt à tempore veræ ☌ ſupra adinuento, ſi dicta ☌ continget in Quadrante Eclipticæ orientali, ſeu ante 90. Eclipticæ gradum ab aſcendente numeratum; quia tunc apparens coniunctio antecedit veram. Sed illud idem interuallum addes tempori veræ ☌ in quadrante Eclipticæ occidentali, in quo ſemper apparens ☌ ſequitur veram. Poſtremò verò ad hoc ipſum tempus apparentis ☌ ſupputabis vtriuſque luminaris vera loca, atque iterum quoque elicies parallaxin ☽ à ☼ in longitudinem, quam ſi comperies congruere ad vnguem cum diſtantia vtriuſque luminaris, certus eris, illud temporis momentum apparentis ☌ exactum eſſe, & congruè adinuentum. Alioquin ſi diſcrepabit, vtriuſque differentia in tempus commutanda eſt, & corrigendum erit rurſus tempus iuxta cautiones à nobis Canone 80. Tabularum Secundorum Mobilium datas. Sed hanc ſimpliciorem formam ſequi expediet forſan, vt quæ minus cautelis impeditur. Ad aliquod temporis interuallum ante, vel poſt veram ſynodum, quod tuo arbitratu iudicabis cōuenire parallaxi ☽ à ☼, nimirum ex diſtributione illius per motum ☽ horarium à Sole, ſupputabis vera vtriuſque luminaris loca, & elicies quoque ad illud idem momentum parallaxin Lunæ in longitudinem, quam addes loco Lunæ in priore Eclipticæ Quadrante, vel auferes in poſteriore, vt habeas viſum Lunæ locum ad hoc tempus, quem confer cum vero Solis loco tunc ſupputato, vt habeas vtriuſque differentiam, quam multipticabis in illud temporis interuallum aſſumptum, & productum partire per parallaxin Lunæ à Sole in longitudinem, quam ad medium ☌ veræ elicuiſti, atque ſic exibit tempus, quo corrigere debes momentum illius viſibilis coniunctionis. Sed hanc operationem melius per exemplum percipies.

Cum in noſtro exemplo ſit ad tempus veræ ☌ adinuenta Lunæ parallaxis in longitudinem 4′. 53″. contingatque illa ſinodus ante nonageſimum Eclipticæ gradum ab aſcendente, qui eſt grad. 2. 17′. ♎; idcirco apparens ſinodus præcedit veram. Quæ vt citius poſſit indagari, ſupputabimus

bimus vera luminarium loca ſexta tantum parte horæ, ideſt decem minutis ante veræ coniunctionis tempus, quantum ſcilicet putamus exigere illam parallaxin, & erit tempus ad horam 1. 6′. 20″. p. m.

S	G	′	″	
6	9	57	48	Verus locus ☉
6	13	58	58	Longitudo ☾ ab Aequinoctio.
4	5	45	19	Anomalia ☾
	4	6	30	Aequatio Epicyclica ſubtrahenda.
4	1	38	49	Anomalia æquata.
6	9	52	28	Longitudo ☾ æquata.
6	9	57	48	Verus locus ☉ vt ſupra.
11	29	54	40	Diſtantia ☾ à ☉
5	29	54	40	Diſtantia ☾ à ☉ oppoſito.
			15	Aequatio Eccentricitatis ſubtrahenda.
6	9	52	13	Verus locus ☾
		5	35	Differentia à vero loco ☉
	H	′	″	
	12	36	38	Tempus reſpondens loco ☉ in Tabula domorum ad polum gr. 45.
	1	6	19	Tempus poſt meridiem.
	13	42	57	Aggregatum ex quo colligitur.
S	G	′	″	
	0	0	♑	Punctum Eclipticæ exoriens.
	80	2		Diſtantia ☉ ab ortu.
	39	32		Angulus Eclipticæ & Horizontis.
	38	50		Altitudo Solis.
		2	19	Parallaxis ☉ } in circulo verticali.
		48	30	Parallaxis ☾ } in circulo verticali.
		46	11	Parallaxis ☾ à ☉ in verticali.
	81	51		Angulus Eclipticæ cum verticali.
		6	33	Parallaxis longitudinis ☾ à ☉
♎	9	52	13	Locus verus Lunæ addendus.
	9	58	46	Locus ☾ apparens.
	9	57	48	Verus locus ☉
		0	58	Differentia vtriuſque.

Multiplico itaque hanc differentiã in decem temporis minuta, ideſt in 600″. & producuntur ſecunda 34800. quæ diuiſa in parallaxin priorem 4′. 53″. ideſt 293″. dat in quotiente ſecunda temporis 119. quæ faciunt duo ferè minuta temporis, quæ auferenda veniunt ab hoc ſecũdo tempore aſſumpto, ideſt ab h. 1. 6′. 19″. vt fiat exactum tempus apparentis coniunctionis ad h. 1. 4′. 18″. p. m. ad quod tempus ſi conformetur ſuperior calculus, magis ille quidem conuenier, vt hic.

S	G	′	″	
6	9	57	43	Verus locus ☉
4	1	37	44	Anomalia ☽ æquata.
6	9	51	7	Verus locus ☽
	H	′	″	
	12	36	38	Tempus reſpõdens loco ☉ in Tab. domorum.
	1	4	18	Tempus poſt Meridiem.
	13	40	56	Aggregatum, ex quo colligitur.
S	G	′	″	
♓	29	31		Punctum exoriens.
	79	33		Diſtantia ☉ ab ortu.
	39	45		Angulus Eclipticæ & Horizontis.
	38	57		Altitudo ☉
		2	19	Parallaxis ☉ } in circulo verticali.
		48	25	Parallaxis ☽ }
		46	6	Parallaxis Lunæ à ☉ in verticali.
	81	22		Angulus Eclipticæ cum verticali.
		6	56	Parallaxis longitudinis ☽ à ☉
6	9	51	7	Locus verus Lunæ addendus.
6	9	58	3	Locus apparens Lunæ.
			20	Differentia à vero loco ☉

Vides igitur exiguam eſſe differentiã loci Lunæ apparentis à vero Solis loco, vtpote ad orientem minuti, quæ non attingit in tempore vnum minutum, ſed circiter 40″. Vnde tutò pronunciamus, exactiſſimum tempus huius apparentis ☌ eſſe ad h. 1. 3′. 38″. p. m. & addita æquatione temporis m. 3′. 16″. erit ad h. 1. 6′. 54″.

Latitu-

CANON VNDECIMVS.

Latitudinem Lunæ viſam, ſeu apparentem ad tempus apparentis coniunctionis cognoſcere.

COLLIGE ex octauo Canone ſuperioris ſupplementi veram Lunæ latitudinem ad tempus apparentis coniunctionis, & ex Canone 9. huius compendij elice parallaxin ipſius Lunæ in latitudinem, quæ Auſtralis ſemper erit, præſertim in noſtris climatis Borealibus vltra ſecũdum clima. Poſtea addes illam veræ latitudini ☽, quando fuerit eiuſdem denominationis, vtpote Auſtralis, vt fiat latitudo ☽ apparens. Quod ſi Lunæ latitudo fuerit Borealis, ſumatur vtriuſque differentia, quæ retinebit affectionem maioris numeri pro ipſa Lunæ latitudine apparente.

Ad ipſum tempus apparentis coniunctionis ſuperius exploratum, hoc eſt ad diem 3. Octobris 1614. hor. 1. 3′. 38″. tali forma exploratur apparens Lunæ latitudo.

S	P	′	″	
1	0	34	42	℞ ☊ ad annum completum 1613.
0	14	36	56	Motus ad diem 3. Oct.
			8	Pro h. 1. 3′. 38″.
0	14	37	4	Aggregatum ſubtrahendum à radice.
0	15	57	38	Motus medius ☊
6	9	50	47	Verus locus ☽ vltimo correctus.
6	9	57	43	Verus locus ☉
11	29	53	4	Diſtantia ☽ à ☉
5	29	53	4	& ab eius oppoſito.
				Aequatio ☊ add.
0	15	58	5	Verus loc. ☊, qui ablatus à vero loco ☽ relinqt.
5	23	52	42	Argum. latitudinis ☽
		31	46	Vera latitudo ☽ ad medium viſibilis ☌ Sept.
		46	6	Parallaxis ☽ à ☉ in verticali.
	81	22		Angulus Eclipticæ & verticalis.
		45	35	Parallaxis ☽ in latitudinem Meridionalis.
		31	46	Vera latitudo ☽ Sept. ſubtr.
		13	49	Latitudo ☽ apparens ſeu viſa Merid.

CANON DVODECIMVS.

Vtrum apparens luminarium coniunctio futura ſit Ecliptica, ſeu cum luminis Solaris obſcuratione.

CERTIOR Eclipſium Solarium regula deſumitur à Lunæ apparenti latitudine ad tempus viſibilis ☌, conferendo ipſam cum aggregato ſemidiametrorum Solis & Lunæ: nam ſi ipſa quidem latitudo viſa per præcedentem Canonem explorata, fuerit minor quàm illud aggregatum, fiet dubio procul aliqua luminis Solaris defectio: ſin æqualis, vel maior, Solare corpus ab obſcuratione immune erit.

Vt in noſtro exemplo ſupradicti Nouilunij anni 1614. die 3. Octobris, cuius medium apparens contingit ad horam 1. 3′. 38″. p. m. collecta fuit viſa latitudo ex præcedente Canone min. 13′. 49″. Septentrionalis, & Lunæ ſemidiameter datur cum Anomalia Lunari æquata 16′. 47″. Solis verò ſemidiameter cum Anomalia ☉ itidem datur 15′. 16″. & aggregatum vtriuſque ſemidiametri eſt 32′. 3″. excedens Lunæ latitudinem, & proinde certò patet, hanc ſynodum eſſe Eclipticam.

CANON TERTIVSDECIMVS.

Magnitudinem Solaris deliquij cognoſcere.

AD eundem ferè modum indagantur digiti Ecliptici in Solari obſcuratione, perinde, ac in Lunari. Nam fit ingreſſus in Tabulam Digitorum ſeu Punctorum Eclipticorum, quæ habetur in noſtris Tabulis Secundorum Mobilium, cum exceſſu ſummæ ſemidiametrorum Solis & Lunæ, qui relinquitur ex ſubtractione apparentis latitudinis Lunæ ab ea, & cum diametro Solis apparente: nam ex area Tabulæ eliciuntur digiti obſcurationis.

Vt in eodem noſtro exemplo, cum ſit aggregatum ſemidiametrorum luminarium 32′. 3″. ab illo auferendo viſam Lunæ latitudinem 13′. 49″. relinquitur exceſſus dictæ ſummæ 18′. 14″. qui in fronte dictæ Tabulæ adinuentus, & à latere ſiniſtro diametrum Solis obſcurando 30′. 32″. patent in area digiti 7. 11′. huius obſcurationis.

CANON QVARTVSDECIMVS.

Scrupula Incidentiæ in Solari Eclipſi manifeſtare, ex quibus tempus occultationis, & emerſionis colligitur.

IDEM eſt hic Canon cum 86. noſtrarum Tabularum Secundorum Mobilium, qui docet inuenire Scrupula Incidentiæ ope illius tabellæ, cui titulus eſt, Scrupulorum Incidentiæ, ſeu caſus in Eclipſi Solis. In qua comperienda eſt frontaliter ſumma ſcrupulorum ſemidiametri Solis & Lunæ,& à latere viſa Lunæ latitudo, vt in area habeantur ipſa Incidentiæ ſcrupula.

Vt in eodem noſtro exemplo, adinueniendo aggregatum ſemidiametrorum Solis & Lunæ 32′. 3″. in fronte, & à ſiniſtro latere viſam latitudinem ☽ 13′. 49″. dabuntur in area ſcrupula Incidentiæ 28′. 48″.

Vt autem cognoſci queat tempus Incidentiæ, quod numeratur ab initio ad medium ipſius Eclipſis, opus eſt prius explorare motum Lunæ horarium apparentem ante ipſius Eclipſis medium, ad eundem ſcilicet modum,ſicut præcepimus ſuperius Canone decimo,per quem horarium motum diſtribuenda ſunt dicta Incidentiæ ſcrupula per Tabulam verificationis ♂, vt prodeat tempus Incidentiæ ab initio ad medium Eclipſis prætetlabens. Pariter quoque cognoſcendus eſt horarius ☽ motus apparens à ☉ poſt Eclipſis medium, vt per illum diſtribuuntur eadem Incidentiæ ſcrupula,ad venandum tempus emerſionis, ſeu recuperationis luminis Solaris, quod à medio ad Eclipſis finem decurrit. Sic igitur ſtabit exemplum inuentionis vtriuſque horarij motus apparentis.

H.1.ante ☌					H.1.poſt ☌				
S	G	′	″		S	G	′	″	
6	9	55	15		6	10	0	11	Verus locus ☉
6	13	24	33		6	14	30	25	Longitudo ☽ ab Aequinoctio.
4	5	11	11		4	6	16	31	Anomalia ☽
	4	8	9			4	4	55	Aequatio Epicyclica S.
4	1	3	2		4	2	11	36	Anomalia ☽ æquata.
6	9	16	24		6	10	25	30	Longitudo ☽ æquata.
6	9	55	15		6	10	0	11	Verus locus ☉
11	29	21	9		0	0	25	19	Diſtantia ☽ à ☉
5	29	21	9						Diſtantia ☽ à ☉ oppoſito.
		1	49	S			1	11	Aequatio Eccentricitatis A.
6	9	14	35		6	10	26	41	Verus locus ☽
	H	′	″			H	′	″	
	12	36	28			12	36	45	Horæ cum loco ☉ in Tabul. domorum
	0	3	38			2	3	38	horæ p. m.
	12	40	6			14	40	23	Aggregatum, Vnde colligitur
S	G	′	″		S	G	′	″	
♓	29	19			♑	14	5		Punctum Eclipticæ exoriens.
	79	24				85	55		Diſtantia ☉ ab ortu vel occaſu.
	39	49				33	52		Angulus Eclipticæ & Horizontis.
	39	0				33	46		Altitudo Solis.
	55	48				55	48		Diſtantia ☽ à terra in ſemidiam.
		2	15				2	24	Parallaxis ☉ } in verticali.
		48	26				51	43	Parallaxis ☽ } in verticali.
		46	11				49	19	Parallaxis ☽ à ☉ in verticali.
	81	18				87	16		Angulus Eclipticæ cum verticali.
		6	59				2	21	Parallaxis longitudinis ☽ à ☉
6	9	14	35		6	10	26	41	Verus Lunæ locus addendus.
6	9	21	34		6	10	28	2	Locus ☽ apparens.
6	9	57	43		6	9	57	43	Locus ☽ apparens ad medium Eclipſis.
	0	36	9			0	30	19	Diff. vtriuſque .i. apparẽs motus ☽ horar.
		2	28				2	28	Motus horarius Solis auferendus.
		33	41			0	27	51	Motus Lunæ horarius apparens à Sole.

Iam igitur inuento hoc horario motu Lunæ à Sole apparente 33′. 41″. ante Eclipſis medium, in fronte Tabulæ verificationis coniunctionum luminarium, colligo cum ſcrupulis 28′. 48″. Incidentiæ à latere, Tempus Incidentiæ hor. 0. 51′. 18″. à principio ſcilicet ad finem Eclipſis, vt ſit initium ad horam 0. 15′. 36″. à meridie.

Pariter quoque obſcurando motum horarium Lunæ à Sole apparentem 27′. 51″. poſt Eclipſis medium, in fronte eiuſdem Tabellæ, & Scrupula Incidentiæ à latere, offertur in area tempus emerſionis hor. 1. 2′. 3″. quod ſcilicet percurrit à medio Eclipſis vſque ad finem, qui erit ad horam 2. 8′. 54″. à meridie. Quare totius Eclipſis perduratio erit hor. 1. 53′. 21″.

CANON QVINTVSDECIMVS.

Latitudinem ☽ apparentem, ſeu viſam, tàm ad initium, quàm ad finem Eclipſis definire, atque Typum ipſius Solaris obſcurationis delineare.

CVM ſit neceſſarium cognoſcere Argumentum latitudinis Lunæ ad medium Eclipſis, quod viſæ latitudini, non autem veræ, correſpondet; idcirco recurrendum eſt ad Tabulam latitudinis Lunæ, quæ habetur ſupra pag. 156. huius voluminis, quærendo in area primæ columnæ viſam Lunæ latitudinem, nam patebit à latere ſiniſtro gradus, & in fronte ſignum, vel à latere dextro gradus, & in calce ſignum ipſius argumenti latitudinis, quod paucis aliquot gradibus differt ab argumento latitudinis cum quo ad medium Eclipſis collegiſti veram ☽ latitudinem, vt in hoc aberrare non poſſis.

Vt in noſtro exemplo, cum ſit argumentum latitudinis ad medium Eclipſis ſignorum 5. graduum 23. 52′. 42″. per quod fuit accepta vera ☽ latitudo 31′. 46″. Septentrionalis; & cum ex ſubtractione huius latitudinis a parallaxi ☽ in latitudinem, ſit relicta apparens latitudo 13′. 49″. Meridionalis hanc quærendo areatim in prima columna, ex qua ſemper colligitur Lunæ latitudo in coniunctione & oppoſitione; video pertinere ad ſigna 6. gradus 2. 39′. 24″.

Ab hoc inuento Argumento latitudinis Lunæ reſpondente viſæ latitudini Lunæ ad medium Eclipſis, auferantur Incidentiæ Scrupula, quæ Canone quartodecimo explorasti, quæ ſunt in noſtro exemplo 28′. 48″. relinquetur Argumentum latitudinis Lunæ ad Eclipſis initium ſignorum 6. 2. 10′. 36″. indicans Lunæ latitudinem graduum 0. 11′. 22″. Meridiani ad initium.

Tandem verò eidem Argumento ſignorum 6. graduum 2. 39′. 24″. addendo eadem Incidentiæ Scrupula 28′. 48″. prodit Argumentum latitudinis

tudinis

tudinis ☽ ad finem Eclipſis ſignorum 6. graduum 3. 8′. 12″. ex quo depromitur latitudo ☽ ad finem graduum 0. 16′. 18″. itidem meridiani.

Ex hac Lunæ latitudine ad initium, medium, & finem Eclipſis, atque ex apparentibus Solis & Lunæ diametris conformatur Typus Eclipſeos huius Solaris, iuxta Canonem 90. noſtrarum Tabularum Secundorum Mobilium, vt hic apparet.



Tabula motus horarij ☽ à ☼ in ☌ & ☍, & ſimul dimidij diei ante & poſt.

Gradus Anom.	Signa Anomaliæ ☽ coæquatæ.												Gradus Anom.
	0				I				2				
	Horar. in ☌ & ☍		Horar. vltra		Horar. in ☌ & ☍		Horar. vltra		Horar. in ☌ & ☍		Horar. vltra		
	′	″	′	″	′	″	′	″	′	″	′	″	
0	27	43	27	12	28	4	27	34	29	1	28	46	30
3	27	44	27	12	28	8	27	39	29	9	28	57	27
6	27	45	27	13	28	13	27	45	29	17	29	8	24
9	27	46	27	14	28	18	27	51	29	25	29	19	21
12	27	47	27	15	28	23	27	58	29	33	29	29	18
15	27	48	27	16	28	29	28	5	29	41	29	41	15
18	27	50	27	19	28	35	28	12	29	49	29	52	12
21	27	53	27	22	28	41	28	20	29	58	30	4	9
24	27	57	27	26	28	47	28	29	30	6	30	17	6
27	28	0	27	30	28	54	28	38	30	15	30	29	3
30	28	4	27	34	29	1	28	46	30	24	30	42	0
	11				10				9				

	Signa Anomaliæ ☽ æquatæ.												
	3				4				5				
0	30	24	30	42	31	51	32	53	32	58	34	45	30
3	30	33	30	55	31	58		5	33	3	34	53	27
6	30	41	31	7	32	6		18	33	7	35	0	24
9	30	50	31	20	32	14		30	33	11	35	8	21
12	30	58	31	33	32	21		41	33	14	35	14	18
15	31	7	31	46	32	28		54	33	17	35	18	15
18	31	17	32	0	32	35		5	33	20	35	24	12
21	31	26	32	15	32	41		17	33	21	35	29	9
24	31	34	32	28	32	47		26	33	23	35	32	6
27	31	43	32	41	32	53		36	33	24	35	34	3
30	31	51	32	53	32	58	34	45	33	24	35	37	0
☽ æquat.	8				7				6				☽ æquat.
	Signa Anomaliæ ☽ æquatæ.												

Tabula Semidiametrorum ☉, ☽, & vmbræ terræ, ac diſtantiæ ☽ à terra in Semidiametris terræ.

Anomalia Solis & Lunę		Semidiameter ☉		Diſt. ☽ à terra in Semid. terræ		Semid. ☽ plenę & nouę		Semid. vmbræ terræ		Variatio vmbræ	Anomalia Solis & Lunę	
S	G	'	"	Sem.	'	'	"	'	"	"	S	G
0	0	15	0	58	8	15	15	43	0	0	12	0
0	3	15	0	58	8	15	15	43	0	0	11	27
0	6	15	0	58	8	15	15	43	1	0	11	24
0	9	15	0	58	7	15	16	43	1	0	11	21
0	12	15	1	58	7	15	16	43	2	0	11	18
0	15	15	1	58	6	15	17	43	3	1	11	15
0	18	15	1	58	5	15	18	43	5	1	11	12
0	21	15	1	58	4	15	19	43	7	1	11	9
0	24	15	2	58	2	15	21	43	9	1	11	6
0	27	15	2	58	0	15	22	43	11	2	11	3
1	0	15	2	57	58	15	24	43	14	2	11	0
1	3	15	3	57	56	15	26	43	16	3	10	27
1	6	15	3	57	54	15	28	43	19	3	10	24
1	9	15	4	57	51	15	30	43	22	4	10	21
1	12	15	4	57	49	15	32	43	25	4	10	18
1	15	15	5	57	46	15	35	43	29	5	10	15
1	18	15	5	57	43	15	37	43	33	6	10	12
1	21	15	6	57	40	15	40	43	37	6	10	9
1	24	15	6	57	36	15	42	43	41	7	10	6
1	27	15	7	57	33	15	45	43	45	8	10	3
2	0	15	7	57	29	15	47	43	49	9	10	0
2	3	15	8	57	25	15	50	43	53	9	9	27
2	6	15	9	57	21	15	53	43	58	10	9	24
2	9	15	9	57	17	15	56	44	3	11	9	21
2	12	15	10	57	12	15	59	44	9	12	9	18
2	15	15	11	57	8	16	2	44	14	12	9	15
2	18	15	12	57	3	16	5	44	20	13	9	12
2	21	15	12	56	58	16	8	44	25	14	9	9
2	24	15	13	56	53	16	11	44	31	15	9	6
2	27	15	14	56	48	16	14	44	37	16	9	3
3	0	15	15	56	43	16	17	44	43	17	9	0

Tabula Semidiametrorum ☉, ☽, & umbræ terræ, ac diſtantiæ ☽ à terra in Semidiametris terræ.

Anomalia Solis & Lunę		Semidiameter ☉		Diſt. ☽ à terra i Semid.		Semid. ☽ plenę & nouę		Semid. ymbræ terræ		Variatio ymbræ	Anomalia Solis & Lunę	
S	G	′	″	Sem.	′	′	″	′	″	″	S	G
3	0	15	15	56	43	16	17	44	43	17	9	0
3	3	15	15	56	38	16	20	44	49	17	8	27
3	6	15	16	56	33	16	23	44	55	18	8	24
3	9	15	17	56	28	16	26	45	1	19	8	21
3	12	15	17	56	22	16	29	45	7	20	8	18
3	15	15	18	56	17	16	32	45	13	20	8	15
3	18	15	19	56	12	16	35	45	19	21	8	12
3	21	15	20	56	7	16	38	45	25	22	8	9
3	24	15	20	56	1	16	41	45	31	23	8	6
3	27	15	21	55	56	16	43	45	38	23	8	3
4	0	15	21	55	51	16	46	45	44	24	8	0
4	3	15	22	55	46	16	48	45	50	25	7	27
4	6	15	23	55	41	16	51	45	56	25	7	24
4	9	15	24	55	36	16	53	46	2	25	7	21
4	12	15	24	55	32	16	56	46	7	26	7	18
4	15	15	25	55	27	16	58	46	12	26	7	15
4	18	15	25	55	23	17	1	46	17	26	7	12
4	21	15	26	55	19	17	3	46	22	27	7	9
4	24	15	26	55	15	17	5	46	27	27	7	6
4	27	15	27	55	11	17	7	46	32	27	7	3
5	0	15	27	55	8	17	9	46	36	27	7	0
5	3	15	28	55	5	17	10	46	40	27	6	27
5	6	15	28	55	3	17	12	46	44	27	6	24
5	9	15	28	55	1	17	13	46	47	28	6	21
5	12	15	28	54	59	17	15	46	50	28	6	18
5	15	15	29	54	57	17	16	46	53	28	6	15
5	18	15	29	54	55	17	17	46	55	28	6	12
5	21	15	29	54	54	17	18	46	57	28	6	9
5	24	15	29	54	53	17	19	46	58	28	6	6
5	27	15	30	54	52	17	20	46	59	28	6	3
6	0	15	30	54	52	17	20	47	0	28	6	0

Tabula Parallaxium Lunarium.

Altitudo ☽	Diſtantia ☽ à terra in Semidiametris terræ.																			
	52		53		54		55		56		57		58		59		60		61	
G	′	″	′	″	′	″	′	″	′	″	′	″	′	″	′	″	′	″	′	″
0	66	6	64	51	63	39	62	30	61	23	60	20	59	17	58	16	57	18	56	21
1	66	6	64	51	63	39	62	29	61	23	60	19	59	17	58	16	57	18	56	21
2	66	5	64	50	63	38	62	28	61	22	60	18	59	16	58	15	57	17	56	19
3	66	4	64	49	63	37	62	27	61	21	60	17	59	15	58	14	57	16	56	18
4	66	1	64	47	63	35	62	25	61	18	60	15	59	12	58	11	57	13	56	16
5	65	57	64	43	63	31	62	21	61	14	60	11	59	8	58	7	57	9	56	13
6	65	52	64	38	63	26	62	16	61	10	60	7	59	3	58	3	57	5	56	9
7	65	46	64	32	63	20	62	10	61	4	60	1	58	57	57	58	57	0	56	4
8	65	38	64	24	63	12	62	3	60	57	59	54	58	50	57	51	56	53	55	57
9	65	29	64	15	63	3	61	54	60	48	59	46	58	42	57	43	56	44	55	48
10	65	19	64	5	62	53	61	45	60	39	59	37	58	33	57	34	56	35	55	39
11	65	8	63	54	62	42	61	34	60	28	59	27	58	23	57	24	56	25	55	29
12	64	55	63	41	62	30	61	22	60	16	59	16	58	12	57	13	56	14	55	18
13	64	41	63	28	62	17	61	9	60	3	59	3	57	59	57	1	56	2	55	6
14	64	26	63	14	62	3	60	55	59	49	58	48	57	45	56	47	55	49	54	52
15	64	10	62	57	61	47	60	39	59	34	58	32	57	30	56	32	55	35	54	37
16	63	53	62	40	61	31	60	22	59	18	58	16	57	14	56	16	55	20	54	22
17	63	35	62	22	61	13	60	4	59	1	57	59	56	57	56	0	55	4	54	6
18	63	15	62	3	60	54	59	46	58	42	57	40	56	39	55	43	54	47	53	49
19	62	54	61	43	60	34	59	27	58	22	57	21	56	21	55	24	54	29	53	32
20	62	31	61	21	60	13	59	6	58	1	57	1	56	1	55	4	54	10	53	14
21	62	8	60	58	59	51	58	44	57	40	56	40	55	40	54	44	53	50	52	55
22	61	44	60	34	59	27	58	21	57	18	56	18	55	18	54	22	53	28	52	35
23	61	19	60	9	59	2	57	57	56	54	55	54	54	54	53	59	53	4	52	13
24	60	52	59	42	58	36	57	31	56	29	55	29	54	29	53	34	52	40	51	50
25	60	24	59	15	58	9	57	5	56	3	55	4	54	4	53	9	52	15	51	27
26	59	55	58	47	57	41	56	38	55	36	54	38	53	39	52	44	51	50	51	3
27	59	25	58	17	57	12	56	10	55	8	54	11	53	13	52	18	51	25	50	38
28	58	54	57	46	56	42	55	40	54	39	53	42	52	45	51	51	50	59	50	11
29	58	22	57	14	56	11	55	9	54	9	53	12	52	16	51	23	50	32	49	43
30	57	48	56	42	55	39	54	37	53	38	52	42	51	47	50	54	50	5	49	13

Tabula Parallaxium Lunarium.

Diſtantia ☽ à terra in ſemidiametris terræ.

Altitudo ☽	52		53		54		55		56		57		58		59		60		61	
G	′	″	′	″	′	″	′	″	′	″	′	″	′	″	′	″	′	″	′	″
30	57	48	56	42	55	39	54	37	53	38	52	42	51	47	50	54	50	5	49	13
31	57	13	56	9	55	6	54	4	53	6	52	10	51	16	50	24	49	37	48	43
32	56	38	55	34	54	32	53	30	52	33	51	37	50	44	49	52	49	7	48	13
33	56	2	54	58	53	57	52	55	51	59	51	4	50	10	49	19	48	34	47	42
34	55	25	54	21	53	21	52	20	51	24	50	30	49	35	48	46	48	0	47	10
35	54	46	53	43	52	43	51	44	50	48	49	55	48	59	48	12	47	25	46	37
36	54	5	53	4	52	4	51	7	50	11	49	18	48	22	47	37	46	50	46	2
37	53	24	52	24	51	24	50	29	49	33	48	41	47	46	47	1	46	14	45	27
38	52	42	51	43	50	44	49	49	48	54	48	3	47	9	46	24	45	38	44	51
39	52	0	51	1	50	3	49	8	48	15	47	24	46	31	45	46	45	0	44	15
40	51	17	50	18	49	21	48	27	47	35	46	44	45	53	45	8	44	22	43	38
41	50	32	49	34	48	38	47	45	46	53	46	3	45	14	44	28	43	43	43	0
42	49	46	48	49	47	54	47	2	46	10	45	21	44	34	43	47	43	4	42	21
43	48	59	48	3	47	9	46	18	45	27	44	38	43	52	43	6	42	24	41	41
44	48	11	47	16	46	23	45	33	44	43	43	55	43	9	42	24	41	43	41	0
45	47	23	46	29	45	36	44	46	43	58	43	12	42	25	41	41	41	1	40	19
46	46	34	45	41	44	48	43	59	43	12	42	28	41	41	40	58	40	18	39	37
47	45	44	44	52	44	0	43	11	42	25	41	43	40	56	40	14	39	35	38	54
48	44	53	44	1	43	11	42	23	41	38	40	57	40	10	39	29	38	50	38	10
49	44	1	43	10	42	21	41	34	40	50	40	9	39	24	38	44	38	5	37	26
50	43	8	42	18	41	30	40	44	40	1	39	20	38	37	37	58	37	19	36	41
51	42	14	41	26	40	39	39	54	39	11	38	30	37	49	37	11	36	32	35	55
52	41	20	40	33	39	47	39	3	38	20	37	40	37	0	36	23	35	45	35	9
53	40	25	39	39	38	54	38	11	37	28	36	49	36	10	35	34	34	57	34	22
54	39	29	38	43	38	0	37	18	36	37	35	58	35	20	34	44	34	9	33	34
55	38	32	37	47	37	5	36	24	35	45	35	7	34	29	33	54	33	20	32	46
56	37	34	36	50	36	10	35	30	34	52	34	15	33	38	33	4	32	30	31	57
57	36	36	35	52	35	14	34	35	33	57	33	23	32	47	32	13	31	40	31	8
58	35	37	34	54	34	17	33	39	33	2	32	29	31	55	31	21	30	49	30	18
59	34	37	33	56	33	19	32	43	32	7	31	34	31	1	30	28	29	57	29	27
60	33	37	32	58	32	21	31	46	31	11	30	38	30	6	29	35	29	5	28	35

Tabula Parallaxium Lunarium.

Altitudo ☽	Diſtantia ☽ à terra in Semidiametris terræ.																			
	52		53		54		55		56		57		58		59		60		61	
G	′	″	′	″	′	″	′	″	′	″	′	″	′	″	′	″	′	″	′	″
60	33	37	32	58	32	21	31	46	31	11	30	38	30	6	29	35	29	5	28	35
61	32	36	31	58	31	22	30	48	30	14	29	42	29	11	28	41	28	12	27	43
62	31	34	30	58	30	23	29	49	29	17	28	46	28	16	27	47	27	19	26	51
63	30	31	29	57	29	23	28	50	28	19	27	49	27	20	26	52	26	25	25	58
64	29	29	28	56	28	23	27	50	27	21	26	52	26	24	25	57	25	31	25	5
65	28	26	27	54	27	22	26	50	26	22	25	54	25	27	25	1	24	36	24	11
66	27	22	26	51	26	21	25	50	25	23	24	56	24	29	24	4	23	40	23	17
67	26	18	25	48	25	19	24	50	24	23	23	57	23	32	23	7	22	44	22	22
68	25	13	24	44	24	16		49	23	23	22	58	22	34	22	10	21	48	21	27
69	24	8	23	40	23	13		48	22	22	21	59	21	36	21	13	20	52	20	31
70	23	2	22	35	22	10		46	21	21	20	59	20	37	20	15	19	55	19	35
71	21	56	21	30	21	6		43	20	20	19	59	19	38	19	17	18	58	18	39
72	20	49	20	25	20	2		40	19	19	18	58	18	39	18	18	18	0	17	42
73	19	41	19	19	18	58		36	18	18	17	57	17	38	17	19	17	2	16	45
74	18	32	18	13	17	54		32	17	16	16	55	16	37	16	20	16	4	15	47
75	17	24	17	6	16	49		28	16	13	15	53	15	36	15	20	15	5	14	49
76	16	16	15	59	15	43		24	15	10	14	50	14	35	14	20	14	7	13	51
77	15	8	14	52	14	36		19	14	6	13	47	13	34	13	20	13	8	12	53
78	14	0	13	45	13	29		14	13	2	12	44	12	33	12	20	12	9	11	55
79	12	51	12	37	12	23		9	11	57	11	42	11	31	11	19	11	9	10	56
80	11	42	11	29	11	16		4	10	52	10	39	10	29	10	18	10	8	9	57
81	10	33	10	21	10	9		58	9	47	9	36	9	26	9	17	9	8	8	58
82	9	23	9	13	9	2		53	8	42	8	33	8	24	8	15	8	7	7	59
83	8	13	8	5	7	55		48	7	37	7	29	7	21	7	13	7	7	7	0
84	7	3	6	57	6	48		42	6	32	6	25	6	18	6	11	6	6	6	0
85	5	52	5	47	5	40		36	5	27	5	21	5	16	5	9	5	5	5	0
86	4	42	4	37	4	32		29	4	22	4	17	4	13	4	7	4	4	4	0
87	3	32	3	28	3	24		22	3	17	3	13	3	10	3	5	3	3	3	0
88	2	21	2	18	2	16		14	2	11	2	8	2	6	2	3	2	2	2	0
89	1	10	1	9	1	8		7	1	5	1	4	1	3	1	1	1	1	1	0
90	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0

DE MERIDIANORVM DIFFERENTIA,

Caput additum ab ipſo Auctore, in quo ad Origanum reſpondetur.

ACCOMODAVIMVS haſce Tychonicas luminariũ, & Martis Tabulas ad Venetum Meridianum, obſeruata nimirum ſubtractione motus vndecim minutis temporis congruente, quantum ſcilicet putant orientaliorem eſſe Meridianũ Venetum Vraniburgico Meridiano Huenæ Inſulæ, ad quem ipſe Tycho ſuas condidit Tabulas, præſtantes viri, qui Eclipſes præteritorum annorum Venetijs & Patauij obſeruarunt, præſertim verò doctiſſimus Simon Marius, & in motuum obſeruatione accuratiſſimus ob familiaritatem, quam cum Tychone olim in Dania habuit: tametſi ex auctoritate eiuſdemmet Tychonis nulla deberet dari differentia inter iam dictos Meridianos, vt patet ex Epiſtola illius ad me conſcripta, quæ habetur pagina 85. mearum Tabularũ Primi Mobilis. Doctiſſimus vir Iacobus Chriſtmanus in ſua Theoria Lunaris motus Tychonica anno 1611. edita, & mihi ex ipſius liberalitate communicata, putat Venetum Meridianum non congruere proximè cum Vraniburgico de ipſius Tychonis mente, ſed potius cum Meridiano Vandesburgico, cuius longitudo Tychone teſte datur gr. 35. 35'. (ita enim corrigendum eſt erratum Typographicum dictæ Epiſtolæ, vbi eſt gr. 33. 85'. & non vt ſcribit Chriſtmanus gr. 33. 45'.) ait enim ille, tranſcriptorem dictæ Epiſtolæ aberraſſe, cum debuiſſet ſcribere, longitudinẽ Vraniburgi eſſe gr. 36. 45'. Vandesburgi gr. 33. 35'. atque eandem proximè Venetiarum. An hoc ſit verum ignoro, ſeruatur tamen penes me Epiſtola illa Melchioris Ioſtelij Mathematici Vittebergenſis manu conſcripta iuſſu Tychonis, qui eam propria manu ſubſignauit. Ceterum hac

inter

inter Venetum, & Vraniburgicum Meridianos differentia ad vndecim temporis minuta à me ſuppoſita, quæ ſint horum locorum veræ longitudines ignoro, nec facilè poſſe determinari puto. Enimuerò ſi vera eſſet Vraniburgi longitudo Tychonica gr. 36. 45′. prodiret vtique Venetiarū longitudo gr. 39. 30′. ſicut Simon Marius & eius aſſeclæ opinantur, quæ profectò nimis meo iudicio exuperat, cum à nemine, quod ego ſciam, tanta longitudo Venetijs ſit adſcripta. Sed cum non conſtet, quo fundamento ipſe Tycho ſtatuerit dictam Vraniburgi longitudinem, an ſcilicet ex aliqua cæleſti obſeruatione, an potius Geographi cuiuſpiam auctoritate perinuitus ei aſſentirem. Gerardus Mercator inter recentiores Geographos primum obtinens locum Huenæ Inſulæ in Helleſponto Danico tribuit longitudinem gr. 35. 10′. hoc eſt paulò maiorē Venetiarum longitudine, quæ ab eodem datur gr. 34. 50′. Sed cum hic egregius vir plus iuſto acceperit latitudinem Huenæ, nempe gr. 56. 38′. cum debeat eſſe gr. 55. 56′. vt fuit à Tychone exquiſitiſſimè obſeruata: credibile etiam videtur, longitudines ab eodem Mercatore nimis auctas fuiſſe in his extremitatibus Europæ Borealibus, vbi circulorum parallelorum maior eſt proportio ad Aequinoctialem & ad circulum maximum, quàm eorum, qui minus ab Aequatore recedunt. Vnde in parallelo Huenæ vnus gradus longitudinis dat minuta 33. & ſemis, ferè maximi circuli, & proinde minus terræ ſpatium comprehendit, quàm in parallelo Veneto, vbi vnus gradus conficit 42. minuta maximi circuli, ac maius terræ ſpatium complectitur. Quare crederem potius ego, minorem eſſe longitudinem Vraniburgi illa Tychonica, quàm quòd Venetiarum longitudo ſit gr. 39. & ſemis. Addo & hoc quoque quod datur terræ continuatio ſatis expedita, ac patens ſecundum genuinam terræ longitudinem, ab occaſu ſcilicet ad ortum, ac proinde minus erroribus expoſitam, cum ab inſulis, ſcilicet Canarijs per Hiſpaniam, Galliam, & Italiæ tractum progredimur ad Venetiarum vrbem. Contra verò progrediendo ab ijſdem Inſulis ad Daniæ Regnum Arctoi orbis diuertimus, admodum à recta terræ longitudine accedentes ad Auſtrum, ac continuo parallelos & climata mutantes, tot ac tam varijs maris lingulis occurſantibus. Itaque ſi vera eſſet Venetiarum longitudo gr. 34. 30′. quam ex probatiorum opinione in noſtris Ephemeridibus damus, vel gr. 34. 50′. quam cum Mercatore in noſtra Italiæ Geographia amplecti coacti fuimus, prodiret vtique Vraniburgi longitudo gr. 31. 45′. vel potius gr. 32. 5′. Sed ſi quis mihi obijciat, nimis ipſam longitudinem me decurtaſſe, hoc eſt gradibus 4. cū min. 45. recedēdo ab opinione eximij viri Tychonis Brahe: reſpondebo quod cum longitudines difficilimè poſſint ex obſeruationibus inueſtigari; in dubio poſitus minus eſſe inconueniens arbitror, concedere Vraniburgi longitudinem eſſe grad. 32. 5′. dum Veneta eſt gr. 34. 50′. quàm aſſentiri longitudini Venetiarum in gr. 39. 30′. dum ſtatuitur Vraniburgica grad. 36. 45′. Nam ab hac Veneta longi-

tudine

tudine parum diſcedit Reinoldus in Tabulis Prutenicis, ſtatuens eam grad. 34. 15′. vt paulò infra patebit. Sic quoque Gemma Friſius aſtruit collocandam eſſe Venetiarum Vrbem in gr. 34. cum ſemiſſe, in ſuo libello de vſu Globi terreſtris, ſicut etiam in libello de locorum deſcribendorum ratione, vt videre eſt pag. 208. in Apiano correcto. Moletius item in ſuis Tabulis Gregorianis, eandem ponit Venetiarum longitudinem gr. 34. 30′. Petrus Pitatus, & alij auctores Itali, quæ ſanè opinio media videtur eſſe inter duas extremas, videlicet illorum, qui ponunt Venetias in gr. 32. 30′. vt eſt Apianus primo impreſſus, quem ſequitur Leouitius, & quidam alij, & illorum qui faciunt ipſam longitudinem grad. 36. 15′. vt patet in Apiano recognito, Meſtlino, & alijs quibuſdam. Sed quod attinet ad Vraniburgicam longitudinem, ſciendum eſt, Origanum quoque eam minorem feciſſe tribus gradibus, dum ponit differentiam temporis minutorum 12. inter Vraniburgum, & Francofurtum ad Oderam, ſublatis enim gradibus tribus huic differentiæ congruentibus à longitudine Francofurti grad. 36. remanet Vraniburgi longitudo grad. 33. ſecundum ipſum Origanum, qui affirmat tantam adinueniſſe differentiam ex obſeruatione Eclipſeos Solaris anni 1598. Præterea conferendo differentias meridianoru m Gratij Stiriæ, & Tubingæ à meridiano Vraniburgi, quas doctiſſimi viri Keplerus, & Meſtlinus adinuenerunt, confirmabimus Vraniburgi longitudinem dari aliquanto minorem numeris Tychonicis. Cum enim Keplerus teſtetur ſe cognouiſſe differentiam temporis meridiani Gratij à meridiano Vraniburgi quinque Aequatoris graduum pag. 383. ſuæ Opticæ Aſtronomicæ ex obſeruatione ſcilicet Solaris Eclipſeos anni 1598. ideò ſi à longitudine Gratij, quam Mercator facit grad. 38. 34′. detraxerimus quinque gradus, prodibit longitudo Vraniburgi gr. 33. 34′ parum differens ab illa Origani: tametſi non ignorem poſſe reuocari in dubium hanc differentiam quinque graduum inter dicta duo loca, cum idem Keplerus in eodemmet libro ponat interdum differentiã inter illa loca quatuor tantummodo graduum pagina 368. & interdum quatuor cum dimidio pagina 359. Quæ varietas arguit difficultatem huiuſmodi obſeruationis longitudinum. Pariter quoque cum Tubingæ aſſignetur à Mercatore longitudo gr. 30. 52′. cumque fuerit obſeruata differentia meridiani ipſius à meridiano Vraniburgico ab ipſo Meſtlino gr. 2. 8′. teſte Keplero in Optica Aſtronomica pag. 406. prodit ideò Vraniburgi longitudo grad. 33. 0′. Sed ex differentia vnius gradus inter dictos meridianos, quam Keplerus facit pag. 403. prodit dictus Vraniburgicus meridianus grad. 31. 52′. tantummodo, & quãproximè accedens longitudini, quam ego deduxi. Sed vtcumque res ſit, hoc tamen certum damus, noſtras haſce Tabulas eſſe reductas ad meridianum orientaliorem Vraniburgico meridiano gradibus duobus cum min. 45. hoc eſt vndecim minutis temporis. Et ſi quiſpiam vti noluerit noſtro ciuitatum catalogo in vltimis

timis Ephemeridibus impreſſo pro reductione temporis ad quemcumque meridianum, fruatur his noſtris Tabulis iuxta ſuum arbitrium. Non enim negari poteſt, negocium hoc Geographicum eſſe intricatiſſimum, maximiſque difficultatibus obnoxium ob incertitudinem longitudinum locorum, & auctorum intolerabilem diſcrepantiam. Quare ſuperuacaneum nobis ſicut & multis alijs viſum fuit, Origanum ob meridianorum Veneti, Montis regij, & Francofurtenſis differentias, tantum obſtrepuiſſe, & tantis clamoribus, & conuitijs rem hanc adeò leuem exagitaſſe in editione præſertim poſtrema ſuarum Ephemeridum auctarum. Cui prolixæ Epiſtolæ ſi reſpondere in omnibus voluiſſem, ingentem ſcripturam me edere oportuiſſet cum maximo legentium tędio; quinpotius ſtatueram nil amplius in mei defenſionem reſpondere, confidens nimirum, & veritati meæ cauſæ, & ingenuitati ſtudioſorum rectè Aſtronomica intelligentium. At quia non omnes abſque diligenti lectione, & collatione ſcriptorum Origani cum meis noſcere queunt, Origanum ipſum plerumque extra propoſitum digredi, & dum vult oſtendere ſe meas rationes ſolidè confutaſſe, ſatagit ille quidem omni conatu, illas ad alios ſenſus malitioſè traducere, vt videar dixiſſe, quæ non dixi, atque vt ſtudioſorum ſic offuſcatorum aſſenſum lucretur; neque interim abſtinet ab iniurioſis verbis, ab exagitationibus acerbiſſimis, & à conuitijs creberrimis in me, ac lucubrationes meas, ſtudens præcipuè ſua quadam immodeſta, ac nimis affectata loquacitate me cófundere, & extra viam reducere ad reſpondendum. Quin etiam ſæpè ſæpius eadem pluribus in locis repetere non erubeſcit, vt videatur multa contra me dixiſſe. Idcirco non potui me continere, quin denuo ad has eius nugas reſponderem, me tamen intra modeſtiæ limites quo ad fieri poteſt, continendo; ne quis meo ſilentio ab Origano me victum argueret. Quod tamen hac honeſta denunciatione factum eſſe intelligo, ne in poſterum quicquam reſpondere debeam.

Noſtræ contentionis ſummam certum eſt verſari circa meridianorum differentias, hoc eſt circa longitudinis Montis regij Pruſſiæ, Venetiarũ, & Francofurti ad Oderam. Origanus enim mihi maximo crimini vertit, quod Ephemerides meas ad Venetiarum meridianum ſupputauerim ad 50. minuta horæ verſus occaſum à meridiano Montis regij remotum, & tamen eundem locum in Catalogo meo priore 35. minutis diſtantem à Venetiarum meridiano conſtituerim, committens ſic quindecim minutorum temporis errorem, quam cantilenam non erubeſcit ſexies ad minus verboſiſſimè repetere, tùm in hac noua reſponſione ad meam Apologiam, tùm etiam vbi de Meridianorum differentia agit. Contrà verò & ego poſt allatam meam defenſionem, Origanum ipſum peccaſſe ad ſex minuta temporis aſſerui, dum differentiam ſui meridiani Francofurtenſis à meridiano Prutenicarum Tabularum obſeruauit ad 37. minuta, cum debuerit eſſe min. 43. ſtante ſcilicet Francofurti longitudine grad. 36. quam

Origanus

Origanus ex Apiano recognito accepit. In hac autem noſtra contentione quis noſtrum victoriam hactenus obtinuerit, aut poſthac eam obtenturus ſit, æquis lectoribus iudicandum relinquo. Hoc tamen non eſt obſcurum, neminem noſtrum poſſe ſperare magnum aliquem triumphum. Diſceptatio enim eſt de re leuiſſima, & vt prouerbio dici ſolet, de lana caprina. Nam quid incertius locorum longitudinibus? vbi nullæ dantur inuictæ demonſtrationes, ſed potius fallaciſſimæ coniecturæ ex chao variarum & ſæpe ſæpius repugnantium inter ſe Geographicarum deſcriptionum obortæ. Etſi non deſint, qui paucas aliquas longitudines per apparentia cęlitus ſe comprobaſſe affirment. Audiamus quæſo Eraſmum Reinoldum in Canonibus Prutenicis, vbi de meridianorum differentia tractat. *Ceterum quod ad noſtrum regionis, ſeu locorum canonem attinet fateor meo animo haud ſatisfactum eſſe, etſi ſequutus ſum eos, quorum ſententiam hoc ſaltem tempore ceteris prætuli.* Et paulò poſt ſubdit. *Quis enim ex eruditis abſque ſtomacho legit tantam Scriptorum in hoc genere diſcordiam? Inter Romam & Norimbergam faciunt alij longitudinis differentiam 9. temporum, alij 8. alij 4. alij 3. tantum. Anconam & Romam in Italia collocat Ptolemæus ſub eodem ferè meridiano: at recentiores non ſolum à Ptolemæo, ſed inter ſe plurimum diſcrepant, vt in exigua diſtantia, quæ penè citra cęleſtem obſeruationem indicari poteſt, ſed deſino recitare exempla diſſenſionum, quæ nimis multa ſunt.* Quid in hoc genere dicant Meſtlinus, Brahæus, & alij, videri poteſt apud ipſos auctores, qui omnes de incertitudine Geographica conqueruntur, ſicut & ego feci in Canonibus meorum Secundorum Mobilium, & ſicut etiam facit Origanus ipſe, cuius formalia verba hæc leguntur in priore editione. *Quo in Catalogo ſi error aliquis ſeſe prodit, non eum mihi, ſed Geographiæ imperfectioni imputari velim. Tanta enim inter auctores in locorum deſcriptionibus diſcordia occurrit, vt in nulla alia re maior deprehendatur. Et exigit Geographiæ reſtitutio non vnius viri laborem, ſed plurium in diuerſis locis degentium diligentes obſeruationes, vt facta collatione tandem vera differentia meridianorum innoteſcat. Optimum verò eſt, vnum aliquem Geographiæ auctorem, & eum probatum ſequi, cum diuerſi diuerſis vtantur principijs, vnde locorum longitudines numerant, & alius maiorem, alius minorem loci longitudinem aſſerat, prout meridianum primum, vel vltra, vel intra inſulas Fortunatas conſtituit.* Et idem Origanus in poſtrema editione ait ſic. *Ipſe enim ego affirmo in tanto auctorum, qui Geographica ſcripſerunt, diſſenſu difficulter de meridianorum differentia certi quid conſtitui.* Quibus ſanè verbis Origanus apertè noſtram iudicat controuerſiam, hac enim Geographiæ circa longitudines incertitudine ſtante, nemo noſtrum quicquam certi poteſt affirmare de vera illorum locorum à nobis memoratorum longitudine, nempe Fruenburgi, Montis regij, Francofurti, & Venetiarum. Ego quidem, vt verum fatear puto Venetiarum longitudinem eſſe inter 34. & 35. gradum ex auctoritate illorum, quos ſupra recenſui,

auctorum, nec aliam ex obſeruationibus certitudinem habeo. Origanus quoque ſuam accepit longitudinem ex Apiano recognito gr.36. vt ipſe affirmat, neque tamen eam ex obſeruationibus veram eſſe comprobauit. Fruenburgum Pruſſiæ ponitur à Copernico ſub gr.45. 30'. longitudinis, vt colligitur ex cap.13. Libri Tertij Reuolutionum, dum ponit Fruenburgum occidentaliorem vna hora ab Alexandria, cuius longitudo datur à Ptolemæo & ceteris Geographis grad.60. 30'. Tandem verò Reinoldus nullam aliam ſui loci longitudinem ponit, quam quæ in Apiano correcto, & Gemma Friſio habetur, nimirum grad. 46. 45'. & mutuauit quoque eiuſdem loci latitudinem ab eodem Gemma Friſio grad. 54. 17'. neque Reinoldus ex aliqua Eclipſium obſeruatione comprobauit dictam longitudinem, quia nec latitudinem, quamuis ſit operatio leuiſſima de quo conqueritur Tycho Brahe pagina 75. Epiſtolarum Aſtronomicarum, vbi teſtatur ſe vnum è ſuis familiaribus miſiſſe in Pruſſiam ad explorandam Eleuationem Poli Montis regij, dum ita ſcribit. *Atque ex altitudinibus Solis, ſtellarumque illic multoties acquiſitis deprehenditur Regio monti Pruſſiæ eleuatio Poli gr. 54. 43'. proximè. Quod tibi vna indicandum duxi: ſi quidem Reinoldus Prutenicas Tabulas ad eum locum ordinauit, eiuſque latitudinem gr. 54. 17'. ſcrupulis 26'. iuſto minorem (Apiani erroneum Catalogum perperam imitatus) conſtituit.*

Hæc itaque eſt longitudo Montis regij, ad quam Tabulæ Prutenicæ exaratæ ſunt, quæ etiam confirmatur tum ex longitudine Alexandriæ grad.60. 30'. ab omnibus, nemine excepto, conceſſa, tum etiam auctoritate Meſtlini, & aliorum, ſicut in priore mea Apologia dixi: Et in ipſa quidem totus ſcopus noſtræ contradictionis fundatur, cum ex ea ipſa pateat, me congruè Tabulis Prutenicis fuiſſe vſum, dum differentiam temporis 50. minutorum obſeruauerim, ſicut præcipit Reinoldus, pateatque Origanum ſex ſcrupulis temporis in reductione ſuarum Ephemeridum ad Meridianum Francofurtenſem aberraſſe. Qui certè vt hunc ſcopulum euitaret, quaſi hoc nihili referat, in hæc verba impertinenter prorumpit. *Quid verò hæc ad controuerſiam decidendam faciunt? Nihil prorſus. Hæres itaque adhuc tanquam imbellis muſca aranearum telis inuoluta, &c.*

Nec tamen ſolidè confutat hoc, quod diximus, imò turpiter ſeſe confundens modo negat, modo affirmat. Etenim cum ille in ſuo Catalogo ſupponat longitudinem Montis regij gr. 45. 15'. nihilominus apertè ſibimet contradicens ait. *Nam primò longitudines quaſdam adducis, primam quidem Montis regij grad.45. 15'. poſt alteram Fruenburgi in Pruſſia ex ſententia Copernici grad.45.30'. quas nullibi inuenies me aſſumpſiße.* Et mirandum herclè eſt, Origanum perfricatæ adeò frontis, & vecordis eſſe ingenij, vt rem, tam claram inficiari audeat. Cur ergo ille non aſſumit Montis regij longitudinem grad. 45. 15'. dum huic vrbi in Catalogo ſuo aſſignat differentiam temporis min.37? Nam ſi longitudini grad.36. addantur

tur grad. 9. 15′. competentes dictæ differentiæ prodibunt grad. 45. 15′. pro longitudine Montis regij ab ipſo ſuppoſita. Sicut etiam ſi eidem longitudini grad. 36. addantur grad. 9. & ſemis pro min. 38. temporis, quæ ponuntur ab eodem Origano è regione Fruenburgi, prodibunt grad. 45. 30′. pro longitudine Fruenburgi, quam Origanus à Copernico elicuit. Sed cum ex hoc ſequatur Fruenburgum orientaliorem fieri ab Origano per quartam gradus partem reſpectu Montis regij contra omnes Geographicas Tabulas, & veritatem ipſam; cum re vera ſit occidentalior gradu vno cum quadrante ex numeris Reinoldi. Idcirco vt hoc abſurdum euitaret Origanus, mutare coactus fuit in hac ſecunda editione differentiam temporis Fruenburgo, ponens tantummodo min. 33. quæ tamen in gradus conuerſa 8. 15′. ſi addatur grad. 36. longitudinis Francofurti, patefaciet longitudinem Fruenburgi erroneam gr. 44. 15′. & vno gradu cum quadrante ab illa, quam poſuerunt Copernicus, & Reinoldus diſcrepantem, quantum ſcilicet differunt erronea Origani longitudo Montis regij ab illa, quam ponit Reinoldus. Cæterum cum nequiuerit Origanus negare, quod ex numeris Prutenicis non colligatur, Regio montis longitudinem fuiſſe acceptam à Reinoldo gr. 46. 45′. ex Gemma Friſio nititur inanibus verbis ipſam obumbrare veritatem, dum ait. *Miror verò, te differentiam longitudinis, quam Tabulæ Prutenicæ inter Regium montem Boruſſiæ, & Alexandriam Aegypti 55′. horæ allegant, mihi obijcere, quam ego neutiquam eandem in Ephemeridibus meis conſtituo. Sed horæ vnius min. vnius, atque ita viciſſim mihi aſtringere, quæ ego nullibi ſcripſi: cum ſi tibi candidè mecum agere animus fuiſſet, meam potius, quam in Catalogo meo inter Alexandriam & Francofurtum differentiam hor. 1. 38′. poſui cum tua*, &c. Cur igitur Origanus vult, me deſerere Reinoldum in arguenda longitudine meridiani ſuarum Tabularum, & confugere ad ipſius Origani potius Catalogum doloſè ſuæ intentioni accommodatum? nec par erat me quoque relegare ad priorem meum Catalogum, cum à me in ſecunda Ephemeridum editione fuerit tanquam erroneus repudiatus. Nemo certius indicare poteſt quanta ſit vera longitudo Prutenicarum Tabularum, quàm numeri ipſiuſmet Reinoldi ex dicto locorum Catalogo, cum certò conſtet Reinoldum accepiſſe longitudinem Alexandriæ gr. 60. 30′. Non eſt autem obſcurum, Origanum doloſè differentiam temporis inter meridianos iam dictos ſumpſiſſe 61. minutorum temporis, vt ſaluaret falſam Montis regij longitudinem gr. 45. 15′.

Non deſinit præterea Origanus me coarguere, quod ex longitudine Alexandriæ concludere voluerim longitudinem Montis regij, dicens. *Vana ergo & inepta eſt tua refutatio, quam à longitudine Alexandriæ Aegypti petis*. Nec tamen audet dicere, non fuiſſe acceptam à Reinoldo gr. 60. 30′. ſicut à Ptolemæo, & ab omnibus accipitur. Et alibi extra rem dicit. *Nec quiſquam Mathematicorum probabit Alexādriæ longitudinem, vt eam propo-*

Z 2 *ſuit*

fuit Ptolemæus vtriuſque eſſe fundamentum (Copernici inquam & Mercatoris) inque hoc fundamento ambos conſentire. Sed poſtea cogitur confiteri, quod prius negauerat, dum ait. *Deinde licet libenter largirer de Reinoldo affirmari poſſe eum Ptolemæi longitudinem, quam Alexandriæ tribuit reſpexiſſe, quando differentiam longitudinis, quam Copernicus inter Fruenburgum, & Alexandriam vnius horæ poſuit, quinque minutis minuit, quibus orientaliorem ſtatuit Regio montem Fruenburgo. Vnde 55′. ipſi diſtat Regio mons à meridiano Alexandriæ.* Quibus ſanè verbis meæ rationi, & ipſi veritati Origanus prorſus ſeſe accõmodat, confirmans Reinoldum accepiſſe meridianum Montis regij 55. minutis horæ diſtantem à meridiano Alexandriæ. Sed ſicut ſupra concluſimus meridianus Alexandriæ ſupponitur à Reinoldo grad. 60. 30′. Vnde ſequitur Regium montem habuiſſe longitudinem de mente Reinoldi grad. 46. 45′. Itaque hæc Origani confeſſio mihi planè ſufficit, nec vlterius quicquam ab ipſo quæro, cum ad rem noſtram nihil faciat, quod de Mercatore ille reſpondet, nec à me hoc fuit prolatum. Quinimo idem Origanus extra propoſitum loquitur in fine Primæ Partis Introductionis ſuarum Ephemeridum vltimo editarum pag. 112. dum ait. *Ignorauit Ptolemæus Regio montem, & ideò de eius meridiano non pronunciauit, & nihilominus Maginus contendit, rectè quidem meridianum Regio montanum reſpectu Alexandriæ, ſed falsò reſpectu Venetiarum determinatum à Reinoldo, ludit enim certè, vt in alijs, ſic in his hypotheſibus & phantaſia ſua Maginus.* Quomodo hic nugator vult inuertere mea dicta, & ad ſiniſtros ſenſus reducere, vt videatur adamuſſim, ac ſatis reſpondiſſe? Confer quæſo benigne lector, quæ de longitudine Alexandriæ dixi in mea Apologia, cum his Origani reſponſionibus, & videbis protinus, quantum illæ alienæ ſint à ſenſu meorum verborum. Non dixi ego, Ptolemæum cognouiſſe Regium montem Pruſſiæ, nec dixi rectè fuiſſe meridianum eius reſpectu Alexandriæ determinatum: ſed dixi, ex differentia temporis, quam Reinoldus poſuit è regione Alexandriæ 55. minutorum, colligi neceſſariò, ipſum aſſignaſſe Regio monti grad. 46. 45′. in longitudine, quod toties repetere cogor, quoties in has Origani abſurdas, ac inſulſas reſponſiones incurro. Scio enim, quod ipſe Reinoldus nil certi habet de vera vtriuſque loci longitudine, cum faſſus fuerit, ſe illas à probatioribus auctoribus accepiſſe.

Sed ſi Reinoldus ſtatuit ſui loci longitudinem gr. 46. 45′. vt Origanus ex hac confeſſione confirmat, cur alterauit Origanus differentiam temporis in ſuo Catalogo inter meridianũ Montis regij & Alexandriæ ſtatuens eam horæ vnius & vnius minuti? Certè non alia de cauſa, niſi vt prodeat longitudo Montis regij erronea gr. 45. 15′. qua tueri poſſet falſam ſuam reductionem motuum Prutenicorum Canonum, ſex minutis temporis peccantem. Nam poſita longitudine illa erronea datur differentia temporis min. 37. à meridiano Francofurtano, quam Origanus ſequitur. Sed

data

data genuina Tabularum Prutenicarum longitudine grad. 46. 45'. debet eſſe differentia temporis inter iam dictos meridianos min. 43. Itaque non poteſt excuſari Origanus ab hoc errore, & non habere hoc commune cum ceteris hominibus, poſſe errare. Sed maior eſt error nolle ipſum errorem fateri, & in obſtinatione ſua perſiſtere, & extra propoſitum reſpondere. Sed vide apertius Origani malitiam pag. 102. ſuarum Ephemeridum vltimo editarum, vbi dum confirmare intendit differentiam temporis inter meridianum Prutenicarum Tabularum, & Francofurtenſem, falſum effingit exemplum, dum dicit: *Veluti quæritur, quæ ſit differentia meridianorum inter Francofurtum, & Regio montem Boruſſiæ, ad quem Tabulæ Prutenicæ conſtitutæ ſunt.* Nam dum ait ſe accipere longitudines ab Apiano correcto, fingit longitudinem Montis regij legi in dicto libro gr. 45. 15'. cum legatur grad. 46. 45'. ſicut videre licet in dicto Apiano recognito, & impreſſo Antuerpiæ anno 1584. apud Io. Bellerum ad inſigne Aquilæ aureæ pagina 98. & etiam pag. 208. nec ex alia impreſſione, quod ſciam, prodijt. Ex hoc itaque exemplo ad mentem Apiani correcto ſtabit differentia longitudinis min. 43. nec erit conſona numeris Catalogi Prutenici, in quo re vera ſupponitur longitudo Francofurti gr. 37. 30'. ad quam Ephemerides Origani calculatæ ſunt, & non gr. 36. Iudicet ergo æquus Lector, cuinam noſtrum conueniat magis ille titulus falſarij, vel mihi prætermittenti nomẽ Meſtlini, & alterius non catholici Theologi, præſertim quod illa nomina fuerint deleta ab hæreticæ prauitatis Inquiſitore, dum mea ſcripta, vt moris eſt, reuideret, ob quam cauſam Origanus non veretur mihi illum titulum iniuſtè tribuere: Vel Origano potius ipſi, qui auctores falsò citat, & numeros erroneos pro libito ſibi effingit. Quod facinus profectò à viris ingenuis, & literatis, præcipuè verò Mathematicis debet eſſe alienum. Quod eò apertius patet, cum in priore editione dederit ſimile exemplum ijſdemmet ferè verbis de cognoſcenda differentia inter Francofurtum & Antuerpiam.

Ad obiectionem, quã mihi Origanus facit, quod cum ſint meæ Ephemerides ſupputatæ ad meridianum occidentaliorem 50. minutis temporis à meridiano Prutenicarum Tabularum, & cum ex Geographia Mercatoris colligatur inter Regio montem Pruſſiæ, & Venetias differentia temporis min. 37. ſequitur, ſi hæc Mercatoris differentia eſt vera, motus dictarum mearum Ephemeridum aberrare min. 13. temporis, quando eis vti volumus Venetijs. Hoc ei facilè concedo, nec negari poteſt. Sed probet prius ipſe Origanus, dari re vera hanc differentiam. Tunc verò huiuſmodi error non mihi, ſed Reinoldo imputabitur, vt in prima reſponſione dixi, & falſis locorum longitudinibus ob Geographiæ imperfectionem, quam omnes fatentur. Sed non ideò ſequeretur Ephemerides meas falſas eſſe, ſed eſſe ſupputatas ad alium meridianum ab illo Veneto differentem, ideſt ad meridianum occidentaliorem meridiano Montis regij

gr. 12. cum dimidio. Vnde patefacto prius meridiano Montis regij, patebit poſtea meridianus mearum Ephemeridum. Sed quis audeat declarare illum meridianum certa adeò aſſeueratione, vt nil dubij relinquatur? Nemo quidem certè.

Præterea dico, quod quando auctoritati Mercatoris ſtandum eſt quo ad longitudines Montis regij, & Venetiarum reſpectu mearum Ephemeridum: eidem ſtandum quoque eſt quo ad longitudines eiuſdē Montis regij & Francofurti reſpectu Ephemeridum Origani. Ait enim Origanus, vt ſupra retulimus. *Optimum verò eſt, vnum aliquem Geographiæ auctorem, & eum probatum ſequi, cum diuerſi diuerſis vtantur principijs, &c.* Hoc itaque conceſſo vt decet, ſequetur & ipſius Origani Ephemerides eadem de cauſa alicui errori eſſe ſubiectas. Nam cum à Mercatore detur longitudo Montis regij grad. 44. 5′. vt patet in ipſius Atlante ab Hondio aucto, ſi ab illa auferantur grad. 37. longitudinis Francofurti ſecundum eundem auctorem, prodibit vtriuſque meridiani differentia gr. 7. 5′. quæ æquiualet minutis 28. temporis. Sed cum Origanus obſeruauerit differentiam dictorum meridianorum ad minuta 37. dabitur 9. minutorum temporis error, nec dictæ Ephemerides erunt ſupputatæ ad meridianum Francofurtenſem, ſed in illo meridiano indigebunt correctione ob illa 9. minuta. Reuoluamus igitur hoc ſaxum in quam libuerit partem, ſemper cognoſcemus non poſſe commodè iacere, atque ſic incidemus in alias atque alias difficultates & abſurda; quoniam ita fert Geographicum ſtudium admodum incertum, & dubiè ab auctoribus pertractatum, etiam ipſomet Origano teſte.

Non opus eſt præterea, vt eidem Origano iterum reſpondeam, cur ego in priore Catalogo aſcripſerim differentiam 35. minutorum temporis Regio monti Pruſſiæ, cum tamen 50. minuta in reductione motuum mearum Ephemeridum obſeruauerim. Nam id à me præſtitum eſt in priore Apologia, nec eum decebat tot clamores excitare, cum à me prior ille locorum Catalogus ab Apiano primo impreſſo deſumptus in dubium reuocatus fuerit ſequente anno ab editione dictarum mearum Ephemeridum, nempe in Secundorum Mobilium Tabulis, vbi longitudines locorum recenſui etiam ad mentem probatiorum auctorum, reſtituendo præſertim longitudinem Montis regij ad gr. 46. 45′. vt in Reinoldo, & Venetiarum longitudinem ad gr. 34. 30′. Tandem verò cum denuo Typis meæ Ephemerides excuſæ ſunt Venetijs anno 1598. deleui penitus longitudines Apiani, & certiores cunctos reddere volui, me approbare longitudines, quas maior eruditorum pars ſequebatur. Quæ Ephemerides me inconſulto paulò poſt impreſſæ denuo fuerunt à Sconuuettero editionem Venetam prorſus imitante.

Vnde malignè agit mecum Origanus, dum ait. *Nam, & conuictus in proxima Sconuuetteriana Ephemeridum editione, &c.* Hoc enim apertiſſimū menda-

mendacium prodit editio meatum Ephemeridum Veneta de anno 1598. vt diximus; in qua deleuimus prorſus Apiani longitudines erroneas, licet eas quoque ſuſpectas reddiderim, nō ſolum in meis Secundorum Mobilium Tabulis anno 1584. in lucem emiſſis; ſed etiam anno 1583. quo Ephemerides meæ Latinæ publici iuris primum effectæ fuerunt, editis ſcilicet tunc Ephemeridibus meis Italicis, vbi habetur ſeparatus locorum Catalogus, & ab illo Apiani longè diuerſus cum hac inſcriptione Italica. *Vn'altra Tauola delle città & luoghi, cauata dall' Efemeridi di Pietro Pitato molto differente dalla ſopradetta, quale molti affermano eſſer più proſſima alla verità.* Sponte igitur reieci Apiani erroneum Catalogum, & non ab Origano conuictus, ac multo tempore prius quàm cum ipſo contenderem.

Ex his, quæ hactenus diximus, concludi poteſt, nil certi poſſe hactenus haberi de meridianis locorum ſupra memoratorum, cui tuto, & confidenter ſtandum ſit, dicat quidquid velit Origanus, aut quicumque alius.

Sed hoc certum eſſe conſtat, cum Ephemerides meæ ſuppuatæ ſint ad meridianum 50. minutis occidentaliorem meridiano Montis regij Boruſſiæ, ſeu Tabularum Prutenicarum, non ideò reijciendas illas eſſe ob incertitudinem differentiæ tēporis inter meridianos Venetiarum, & Montis regij. Nam ſi hæc ipſa aliter ſe habet, quàm à nobis fuerit de Reinoldi ſententia ſumpta, fuerintque nobis cognitæ locorum longitudines, poterimus nihilominus colligere, quantum temporis ſit addendum, aut auferendum, vt conuenienter iam dictis Ephemeridibus vti poſſimus. Simili modo concludendum eſt, cum Origani Ephemerides ſuppútatæ ſint ad meridianum 37. min. temporis occidentaliorem Montis regij meridiano, ſi Francofurtum tanto interuallo non remouetur à Regio monte, poterit obſeruari correctio ob euariationem.

Quo verò ad errores paucorum aliquot minutorum in meis Ephemeridibus compertos, ſicut illos libenter faſſus ſum: ita futilem laborem, minimique ponderis in eis corrigendis tempus contererc, quod in meliora abſumi poteſt, iudicaui. Nam quos in me notat errores Origanus inſigniores & ad gradus accedentes, ſcias illos eſſe ex impreſſoris incuria, ſicut facilè videre eſt, vel ex ſimilitudine aliqua numerorum, vel collatione facta cum vicinioribus diebus. & cum aduerſus Scalam Gazanus pro me ſcripſit, tabellam publicauit errorum ex impreſſione mearum Ephemeridum ab anno 1591. vſquè ad annum 1600. pagina ſcilicet 17. quam tabellam ſi Origanus vidiſſet, minimè recenſuiſſet illos, meos errores, quos ex collatione Ephemeridum Scalæ cum meis animaduertit.

Dico enim iterum ſyncerè, & quiſque ſanæ mentis hoc idem fatebitur, meas ſcilicet Ephemerides tales eſſe, vt nil referret, alias iterum eſſe ſupputandas ex iiſdem fundamentis, ac Prutenicis Tabulis. Enimuerò quicumque ante me Ephemerides ediderunt, grauiora profectò errata commiſerūt, neque hic Reinoldum ipſum excipio Tabularum Prutenicarum

auctorem,

auctorem, cuius Ephemerides extant ad annos 1550. & 1551. ſupputatæ, nec quemcumque alium. De Meſtlino Mathematico eximio, & Aſtronomo accuratiſſimo patet in reſponſione Gazani ad Ioſephum Scalam, cuius differentias à meis Ephemeridibus ille notat pluries ad decem, 15. & interdum 20. minuta, quod tunc non animo ipſum Meſtlinum lædendi fuit factum, ſed vt pateat, me non fuiſſe alijs negligentiorem, qui apud literatos viros benè audiunt, vt ſileam de Stadio, ac etiã de alijs qui Ephemerides ex Alphonſino calculo collegerunt. Quin & ipſe Origanus grauiores me commiſit errores in annis illis primæ ſuæ editionis, in quibus mearum Ephemeridum exemplari caruit quos faſſus fuit dicens. *Ego ſanè & ipſe fateor me per alias occupationes eam ſemper ſedulitatem impendere nequiuiſſe, qua opus eſt in Ephemeridibus conficiendis*. Sed oh virum maleuolum, cur me quoque nõ eodem modo excuſauit? Nam & ego homo ſum, diſtineorque occupationibus, & negocijs ſum implicitus. Optimè nouit Origanus, quod Ephemeridum compilatio non tanti eſt oblectamenti, vt eo abducatur à ſemet homo: ſed phlegmatici, patiẽtisque viri munus eſt, exiguusque eſt profectus, qui è tali labore exantlato acquiritur. Scitur enim idem nouiſſimo, quod primo die, hoc vno tantum excepto, quod in dies exercitatior & aſſuetior in ſupputationibus euadit homo. Et niſi ſpes foret ſtudioſis gratificandi, nemo huic inſuaui labori non ſuccumberet. Nam vt verum fatear idem profectò eſt Ephemerides conficere, perinde, ac ſi quis rotam circumducens ad idem ſæpe ſæpius redeat. Nam quicumque ſcit Ephemerides vnius anni conſtruere, ſciet etiam pro centum annis & pro pluribus, cum ſit eadem in omnibus operatio. Ad quid igitur ventoſo gloriæ curru circumagi, intumeſcereque ob huiuſmodi labores non niſi mediocrem præ ſe ferentes eruditionem in Mathematicis, imo in ſola Aſtronomia? quod in Origano, tam apertè conſpicitur, dum ſe culmen gloriæ aſſecutũ fuiſſe arbitratur ob ſuas Ephemerides, quas vellet haberi exactiores, & omnibus numeris abſolutiores ceteris hucuſque editis eden disvè. Qui ſanè laborioſus, & operoſus ſcopus nequaquã collimatu difficilis eſt, dum quis ſe totum huic operationi applicare curat. Bene cognoui, quod licet ille faſſus fuerit non leues errores à ſe commiſſos in illis decẽ, quos dixi, annis, optat tamen, ac expoſcit hanc prærogatiuam, ſe illos prius nouiſſe quàm à me fuerit de illis admonitus, ambitioſè præ ſe ferens, quod magna cura ſuas recognouerit Ephemerides. Hæc eſt Origani ſuperbia, quod vult haberi irreprehenſibilis, & quod nulla erroris macula ſibi inuri poſſit, quam ille ipſe prius non viderit. Verum & me maximè deſidiæ & ſocordiæ incuſat, quod eos corrigere renuerim. Fateor ego quidem ingenuè, me hos leues paucorum minutorum errores neglexiſſe, & pro nihilo habuiſſe, poſtquam mihi perſpectum eſt, Copernici calculum à recto deuiare ad integros gradus non aliter quàm faciant illi, qui pulchrius nõ laborant reddere ædificium cito ruiturum. Quin potius omnem impendi curam,

curam,ac laborem in præſtolanda editione correctionis motuum Tychonica. quod patet ex literis à me ad Tychonem & Keplerum conſcriptis, quò poſtea nouas, & exactiores Ephemerides ex illo nouo calculo conſtruere poſſem,niſi prius me quiſquam alius hoc labore liberaret. Qua de cauſa ſuperiores Epiſtolas Kepleri,ac meas de hoc negocio tractantes publicare volui. Contrà verò Origanus omnem curam,ſtudiumque collocauit in ſuis Ephemeridibus Prutenicis, perinde ac in labore perenni, idque quaſi vt vir, cui deſit, vbi tempus inſumat, niſi in faciendis ijs, quæ magna ex parte ſaltem ab alijs factitata fuere ſatis exactè, & quantum ab inſtanti paſcebatur neceſſitate, donec prodirent nouæ Ephemerides cęlo congruentiores. Quinimo neque hoc contentus eò dementiæ prolapſus eſt, vt ad multos annos illas extendat, quo ſcilicet magis ſtudioſi ſuperfluis his expenſis grauerentur, præſertim in libro poſt paucos annos nullius vſus, ſuperuenientibus nouis ex recentiſſimo Tychonis & Kepleri calculo & obſeruationibus. Vnde & ille quoque contabeſcet,ſerò intuens peſſum ire labores ſuos, fruſtraque tempus inaniter abſumptum deplorans. Prætereo quod in luminarium Tychonicorum motibus, & in calculo Eclipſium Origanus minus accuratus fuerit ob cauſas à nobis alibi expreſſas. Nec illi continget, vt durent & præ manibus habeantur Ephemerides illius ob ingentem & ad nauſeam vſque prolixam introductioнē, ac tot nugis,ſuperſtitioſisque & falſis Arabum Aſtrologorũ præceptionibus refertam, vt ceteris peritiorē ſeſe oſtentaret,vbi eo ſuperbiæ ſemet extulit, vt vix ſenſu nedum calamo perſtringi queat. Talia verò eſſe Origani ſcripta non obſcurè patet, dum ab ipſa ſtatim editione ſacroſanctæ Eccleſiæ Catholicæ Romanæ fuerint ſuſpecta, nec ſine expreſſa ſanctæ Inquiſitionis licentia legenda concedantur, idque viris ſolummodo doctrina & pietate præſtantibus.

Quid de Origani incredibili, ac inſolenti audacia dicendum? qua me in diſcrimen nominis & famæ deuocare cōtendit, dum meos labores contemnere, ac vilipendere ſtudet, appellans contumelioſè Centones, meos Secundorum Mobilium Canones, atque vocans me ieiunum Primi Mobilis ſcriptorem nondum intelligentem, cui propriè competat motus primus. Certè in hoc liuore inuidiaque ſe diſrumpi non obſcurè declarauit, qui odio quodam inſatiabili erga me nil aliud molitur,quàm vt mea ſcripta, quæ hactenus à profeſſoribus & doctis viris comprobata fuerunt, ab ijſdem in poſterum reijciantur,& contemnantur,& ſola ipſius ſcripta circumferantur,ac legantur. Sed decipietur profectò,cum nondum ipſe tanta & talia, quanta & qualia ego, ediderit: ſi quidem ille ipſe nondum è gyro Ephemeridum pedem remouere tentauit, hoc eſt è labore tyronum in rebus Aſtronomicis, & mediocris ingenij, ac doctrinæ.

Superſedeo perpendere, ac confutare aliquot petulantia verba, ac maledicta,quæ in me Origanus euomuit,& quibus reſponſionem ſuam tan-

quam

quam corona redimiuit,cum probi viri ſciant hoc eſſe munus inurbanorum,qui,dum nequeunt ſe continere intra modeſtiæ fines, ad iurgia & iniurioſa verba confugiant,&,dum alios ſic vincere nituntur, ſeſe palam omnibus victos declarent. Et non parum mirandum eſt, ipſum hominem Germanum non puduiſſe mihi homini Italo ebrij titulum dare,quaſi eodem ille non poſſit iuſtiùs, ac propriùs nomine compellari.

De erroneis aſpectibus ab Origano poſitis quàm ſit abſurda, & ridicula reſponſio, (mitto verboſam, inſolentem, ac maledictis ſcatentem) nemo eſt, dum Aſtrologiæ prima ſaltem rudimenta deguſtauerit, qui non intelligat: & Origani vicem doleo, qui ſe Mathematicū profitetur, atque huiuſmodi inſulſam, ac erroneam reſponſionem dediſſe non erubuit. Nihilominus bonus ille vir non veretur mihi, cùm ipſum de his abſurdis reprehenderim,ruditatem adeò pinguem iniungere,quod neſciuerim diſtinguere inter Aſtrologiam & Aſtronomiam.)

Recurras Lector benigne rogo ad caput illud in Introductione Ephemeridum Cipriani De Fortitudine & debilitate Planetarum tanquam ad fontem,vbi Origanus collegit,quæ capite 4. 5. & 6. Tertiæ Partis ſuæ primò impreſſæ Introductionis ſcripſit, tribuendo numeros fortitudinum, & debilitatum ſingulis dignitatibus & accidentibus, ſicut Ciprianus fecit. Sed tamen cum de Aſpectibus Origanus in fine dicti capitis ſexti tractat, credens ſupplere defectui Cipriani, tanquam ſi ille oblitus eſſet,omnes aſpectus recenſere, addit illos impoſſibiles aſpectus. Enimuerò dùm Ciprianus dicit, partilem trinum ♃ vel ♀ ad aliquem Planetam importare 4. teſtimonia fortitudinis, & ⚹ ♃ vel ♀ ad eundem Planetam importare tria teſtimonia fortitudinis. Origanus ad eius imitationem ſic ſcribit. *Sic ex beneficis aſpectibus △ ♃ & ♀ 4. fortitudinis teſtimonia, trigoni verò ♃ & ☿, ♀ & ☿, ☉ & ♃, ☉ & ♀, Item ♃ & ☽ 3*, & cet. Hæc ſanè eſt ampliatio doctrinæ Cipriani ab Origano facta, quæ nedum erronea eſt quo ad impoſſibilitatem aſpectuum, ſicut aliàs diximus, verū etiam ob alias cauſas,quas miſſas facimus,ne nouas concitemus lites,dum finem his noſtris controuerſijs imponere ſtudemus. Quàm enim ſit abſurdus ſenſus, & ab omni veritate alienus, quod hi aſpectus aptandi ſint directionibus,vt Origanus reſpondet, nemo eſt, qui non norit;eſſet enim hoc cōtra inſtitutum non tantum ipſius Cipriani,qui illud caput ſcripſit, vt perpendi poſſet ſtatus & fortitudo Planetarum ſingulorum in themate ſeu figura cæli radicali, ſicut ille exemplis declarat: ſed etiam contra ipſiuſmet Origani verba paulò ante prolata, dum ait. *Ceterum vt appareat quomodo Planetæ vel coniuncti, vel radio ſeſe intuentes vires, vel intendant, vel remittant*, &c. Vbi apertè confirmat, quæ Leouitius ſcripſit. Contrà verò licentiùs, ac inconſideratius non poterat reſpondere, vt ſuam obtegeret ignorantiam, quam ille fecerit, dum faſtuosè ait. *Scribunt Aſtrologi, & ego cum illis Planetas omnes à loco radicali*, &c. Refugiendo ſcilicet ad directionum

rectionum aſylum, cum de his ne verbum quidem vnquam fecerit, in omnibus illis capitibus. Nam quid ſibi vult dicere in directionibus, quod trinus ♀ & ☿ importet 3. fortitudinis teſtimonia? neuter enim eorum ſolet ordinariè pro ſignificatore capi, & dato quod fieret, vt verbi gratia ſi ſumeretur Venus ſignificatrix, & ipſa ad △ ☿ pertingeret, quid ſibi vult, quod importet tria fortitudinis teſtimonia? Hoc nouum Aſtronomiæ documentum me non intelligere libenter fateor, ſicut nec alios intelligere ambigo. Diſcat itaque Origanus erronea & abſurda effari, & male ſe tueri fulcro vehementiorum abſurdorum errorumque, quàm emendare, ſicut poterat, ſua ſcripta, delendo in hac ſecunda editione dictos erroneos aſpectus. Cui ergo non palam eſt tumens Origani natura, dum ne veritati acquieſcat varijs implicatur & luctatur abſurdis.

Tandem verò, vt finem huic reſponſioni imponamus, ad Scalam nunc ſermo noſter conuertendus eſt, pro quo Origanus ſe reſpondere credidit, dicens. *De Ioſepho vero Scala, quem furti arguis*, &c.

Reſpondeo, me illum ex ore tuo viciſſe, quando fateri coactus fuerit, ſe omnes aſpectus, omneſque latitudines è meis Ephemeridibus exaraſſe, atque etiam cum ſupputaſſet motus ad dies quoſdam, à meis poſtea Ephemeridibus motus ad intermedios dies excepit. Reſponſio eius impreſſa eſt Venetijs apud Venturam Galuanum anno 1590. ſub nomine Io. Antonij Quinquerugij aduerſus Io. Baptiſtam Gazanum, qui meas partes ſuſcipiens, ſcripſit prius contra ipſum Scalam Italico ſermone Animaduerſionem Bononiæ apud Alexandrum Benacium anno 1589. impreſſam. Et idem Gazanus replicat aliam reſponſionem eodem anno 1590. quæ Venetijs impreſſa fuit à Gratioſo Precacino. Pagina itaque tertia prope finem in hūc modum loquitur Quinquerugius. *Fatetur Scala Lunæ aſpectus ad Planetas & Planetarum inter ſe, eorumque latitudines ex Ephemeridibus ſumpſiſſe mutuas*. Et idem Quinquerugius fatetur pluries, Scalam ad aliquot dies motus ſupputaſſe; & intermedios dies à Magino tranſcripſiſſe, minime cognoſcendo errata impreſſionis, & præſertim in fine paginæ 9. vbi ſic ait. *Nam (vt ſæpiſſimè dixi) dūmodo Scalæ conſtaret per ſuas has computationes motus Magini, intermedios dies ab eo deſumpſit. Et ſi fortè in illis intermedijs diebus in Magini Ephemeridibus error aliquis typographi extiterit, qui vel grauioribus diſtentum curis, vel quia exigui momenti, latere potuit*. Sanè Scala à me aperti euictus furti perſpiciens ſe ab illis reſpondendo non potuiſſe excuſari, adeò melancholica affectione paulò poſt exagitatus, animique angore vexatus eſt, vt in grauiſſimum morbum inciderit, fatiſque conceſſerit 30. ſuæ ætatis anno nondum abſoluto. His huic reſponſioni finis ſit impoſitus.

VENETIIS, M DC XIV.

VIRTVTI SIC CEDIT INVIDIA



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ex Officina Bartholomæi Rodellæ, Damiani Zenarij hæredis, ſub candentis Salamandræ ſigno.

ſangue di drago, [illegible]